A. Hinckelmann

Jobi theologia evangel. hypothesibus Pontificiorum, Reformatorum et Socinianorum contraria.

Kilonii, 1687.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

1,-98.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00968 1
+ REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

919

Q. F. F. Q. D. E. I.

IJOBI THEOLOGIAM EVANGELICAM,

HYPOTHESIBUS *PONTIFICIORUM, REFORMATORUM, & SOCINIANORUM,* CONTRARIAM,

PRO IMPETRANDA DOCTORIS THEOLOGI DIGNITATE,

CONCEDENTE SUMME REVER. FACULT. THEOLOG. IN ILLUSTRI HOLSATORUM ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA,

PRÆSIDE

Viro Maxime Reverendo, Ampliſſimo, & Excellentiſſimo,

DN. CHRISTIANO KORTHOLTO,

SS. Theol. Doct. celeberrimo, ejusdemq; Prof. Primario meritiſſimo, & Facult. Theol. h. t. Decano gravisſimo, Dn. Promotore, & in Chriſto Patre ſuo honoratiſſimo,

ad d. Novembr.

PUBLICÆ DISPUTATIONI OFFERT

Auctor & Reſpondens

ABRAHAMUS HINCKELMANNUS,

Verbi divini in templo D. Nicol. Hamburg. hucusque Miniſter, & nunc Serenisſ. Principis Haſſiæ Concionator aulicus primarius, Conſiſtorii Adſeſſor, & Superintendens deſignatus.

KILONI, Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr. 1687.

7.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

I. N. J. C.

Proœmium.

INter eos libros omnes, qui divina ſua auctoritate & origine humano generi ſe commendatos reddiderunt, abſtruſa ſapientia plenus, & ultima antiqvitate venerabilis eſt liber *Ijobi*. Seu Ijobus enim ipſe eundem poſteris conſignaverit, ſeu, quod Ebræi fere omnes, & nuper quoque immortales Viri *D. Schmidius* & *Petr. Dan. Huëtius* maluere, a Moſe primum, divino dictante Spiritu, litteris traditus ſit; canitie ſua omnia omnium gentium ſcripta ſuperabit, quousq; Moſaicis libris antiquiores, tanto quidem ſtudio, ſed fruſtra, a vane curioſis noſtri ſeculi ingeniis quæſitos, in orbe reperiri non probabitur. Qvin nec ipſa Ijobi & amicorũ ejus & Dei verba in Ebræo codice adhuc nobis exhiberi dubitamus; cum lingva Arabica Moſaicis temporibus æqve ac Cananæa parum omnino ab Ebræa diſcrepaſſe videatur, ut egregie oſtendit doctiſſimus *Vitringa*. quem tamen in eam ſententiam, ut Moſen verſionem tantum hujus libri nobis repræſentaſſe crederet, abreptum fuiſſe magnopere miramur. In hac tam vetuſto, tam admirabili codice veritatem Evangelicam ſcrutari res ſummæ voluptatis nobis ſemper viſa eſt, nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

voluptatis modo, ſed & utilitatis. Utut veritas enim antiquitate ſæpe tanquam ſua nocte condatur; tanto acceptior tamen eſſe ſui amatoribus ſolet, quanto majori ſtudio eruitur, & qvanto certiores de ea reddimur ex antiqviſſimorum ſeculorum teſtimonio. In cauſa certe Religionis non contemnendum munimen & præſidium eſt, conſtans omnium temporum doctrina. Nemo igitur, ſpero, improbabit, ſi in controverſiis, qvæ nobis cum Romana Eccleſia, cum Reformatis, cum Socinianis intercedunt, graviſſimos & antiqviſſimos Doctores, Ijobum, Eliphaſum, Bildadum, Zopharem, Elihu, ex media Arabia veritatis teſtes advocemus, & ex eorum concertatione, ferventes adhuc, proh dolor! in Chriſtiana gente lites ſi non ſedare, quod unius Dei eſt, ſaltem decidere conemur. Atque hoc faciemus ſine ambitioſa vanæ eruditionis oſtentatione, ſine ipſa quoque verborum cura; cum in Theologorum Scholis, ubi verbis non parcitur, modo ne veritati parcatur, ſæpius βαρβαρίζειν liceat, & quæ hic tractantur ita ſint comparata, ut verũ ſuũ ornatum habeant, ubi non ornantur. *Te invoco, Pater luminum, ut, quæ in populi Chriſtiani doctrinam & ſolatium, mira providentia, nobis adhuc conſervaſti oracula, & in hac lingvarum Orientalium luce noſtris temporibus ſubinde illuſtriora reddis & faciliora, ita a nobis conſiderate & pie exponantur, ut ab erroribus magis magisque liberemur, & ſola Tua in nobis dominetur veritas!* Amen.

CUm Pontificii ipſi fateantur, & nemo noſtrum dubitet, præcipuam, quæ inter nos & Romanam Eccleſiam agitatur, controverſiam eſſe *de indole Juſtificationis noſtræ*, merito ab hac ordiemur, & theſes Ijobæas opponimus ſeqventes

PAPISTIS.

THESIS PRIMA.

VErbum Juſtificare, quoties Ijobus eo de homine peccatore & coram Dei judicio conſtituto utitur, non habitum juſtitiæ homini infundere, ſed juſtum declarare ſignificat.

Probatio.

Patet hoc evidenter ex loco c. IX, 20. אם אצדק פי ירשיעני תם אני ויעקשני Conſtat verbum הִצְדִּיק eſſe oppoſitum הִרְשִׁיעַ & עקש (Conferatur Rom. VIII, 33, 34.) oppoſitam proinde habere ſignificationem. Jam vero themata illa nihil aliud innuunt h. l. quam peccatorem ſe profiteri. Eſt enim ſenſus hic verborum Ijobi: *Utut ſim* pro ratione hujus vitæ adhuc per Dei gratiam *juſtus & integer* (amans Dei & proximi, atque adeo ſtudioſus bonorum operum, idque ſine fuco) *os tamen meum* (ſi Deus mecum absque interventu Mediatoris, ſponſoris illius mei, c. XVII, 3. & Redemptoris, c. XXXIII, 23, 24. judicio experiri, & ad rationem de vita anteacta ſine illo reddendam compellere volet) *profitebitur*, *me* hucusque quam ſæpiſſime *improbis* ac *perverſis* animi corporisque motibus indulſiſſe, nunc per ſubreptionem, alias ex imprudentia, quandoque etiam conſulto & obluctante conſcientia. Certe coram Judice nemini

mini

mini mortalium os ſuum *infundit* improbitatem, atque alienum ab officio pii viri animum. Adeoque הצדיק non poteſt idem eſſe h. l. quod reddere hominem habituali fide, ſpe & amore plenum. Agnoverunt hanc verborum horum vim ex Pontificiis doctiſſimi Viri, *Johannes de Pineda* in h. l. pag. 247. *Juſtificare eſt, ſuas partes agere, ſe tueri in judicio, atque conari innocentem oſtendere --- Condemnandi autem verbum pertinet ad culpam, cum homo convincitur damnaturq; ſceleris alicujus--- Non enim repellitur conſcientiæ teſtimonium in divino judicio. Jacobus Bolduccius*, Capuccinus, p. 399. explicat: *Cum ad tribunal ejus ab ipſo vocatus acceſſero, ſi perfectum me eſſe aut innocentem oſtendere me voluero, aſſeruerimq; me peccatum non habere-- proprio me ore mendacem prodam, atq; unde jure condemner, contra me ipſum proferam.* Similiter Jeſuita *Balthaſar Corderius* p. 219. *Si juſtificare me voluero, id eſt, ſi teſtificari audeam apud Deum, me juſtum eſſe.* Bene etiam vulgata: *Si juſtificare me voluero* (num quid homo ſibi ipſi infundit juſtitiam?) *os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.* Luculentius adhuc Ijobus c. x, 1. 2. quid divina הצדקה ſit, nos docet. *Loquor in mœrore amariſſimo animæ meæ*, inquit, *& compellor Deo dicere,* אל תרשיעני *ne me* in tribunali tuo *aſſeras eſſe hominem plane impium*, orco dignum, & Satanæ infeliciſſimum mancipium. Quod ſi vero ſciens volensque varia forte deſignavi crimina, & propter illa ſum plectendus, *tum nota mihi fac*, ut deprecari queam, quænam illa ſint, *propter quæ me ſis puniturus.* Sane non ſine graviſſima in Ijobum contumelia dixeris, virum ſanctum expoſcere, ne Deus ipſum faciat ſceleribus coopertum. Similiter cap. XXVII, 5. hoc verbo utitur amicis obloquens: חלילה לי אם־אצדיק אתכם עד־אגוע. *Abſit à me ut vos juſtificem* (i. e. juſtos eſſe judicem, uti recte *Vulgatus*; ut

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

in præſenti negotio profitear, jure meritoque vos me inſimulaſſe impiæ à Deo defectionis, c. XXII, 5.) *usq; dum expirem.* Ijobus amicis ſuis habitualem fidem, ſpem & amorem infundere non poterat, facturus id haud dubie, ſi tantæ ejus fuiſſent vires, ut in animis eorum dominari potuiſſet. Pertinent huc quoque verba c. XXXII, 2. ubi de Elihu dicitur: *Exarſit ira Elihu adverſus Ijobum, quod juſtum ſe aſſeruerat* (על צדקו נפשו) *præ Deo*, ſuis de negotio præſenti querelis impatientia ſæpe corruptis ſignificans, æquius ſe, ſi res ex ejus voto & arbitrio dirigerentur, cum piis acturum, nullamque vel ſaltem non adeo inſignem calamitatem illis immiſſurum eſſe. Item v. 3. *Exarſit ira Elihu in tres Amicos Ijobi, quod reſponſum non inveniſſent* וירשיעו *& Ijobum impiificaverint* (uti Mercerus verbi vim exprimit, id eſt, condemnaverint.) Sed & Elihu ipſe, verbum צדק c. XXXIII, 32. ita adhibet: *Si tibi verba*, ait, *porro ſuppetunt*, *quibus ſententiam meam refellas*, *age ſane repone illa*: כי חפצתי צדקך *lubentiſſimo enim animo te juſtificabo*, id eſt, juſtum celebrabo. Nemo prudens hic dixerit; Elihu voluiſſe Ijobo infundere habitualem, quam vocant, fidem, ſpem atque amorem, eumque hoc pacto hominem piis moribus decorum efficere. Quin potius uti de Sacerdote Ebræo dicitur Lev. XIII, quod טמא polluat, v. 3. & טהר mundificet leproſum (adde v. 7. 8. 11. 13 15. 17. 20. &c.) ita geſtiit Elihu Ijobum juſtificare, ſinceram pietatem in ipſo ingenue agnoſcendo & declarando. Nec prætermittenda alia viri hujus divini verba c. XXXIV, 17. Num quid Dominum juſtiſſimum ac potentiſſimum parum juſte res humanas moderari in affligendis piis cenſebis? Illumne (ut ſcite Vatablus) impietatis ſugillabis, qui juſtus & potens eſt? Ex his ſane, quo ſenſu vox oppoſita הצדיק veniat, aperte ſatis colligitur. Reſtat ut teſtimonium & vocem omnium auguſtiſſimam ipſius Summi

Numi.

Numinis in hoc libro audiamus. Ea exſtat c. XL, 3. *Num etiam* תָּפֵר *abolebis* (i.e. inficiaberis. Reale ponitur pro verbali) *juſtum meum regimen?* Quem tandem finem ille tuus ſugillandi pruritus inveniet? תרשיעני למען תצדק *numquid aſſeres me eſſe iniquum* rerum omnium moderatorem, *quo tu* ab amicis ob fata tua triſtia impietatis poſtulatus *reputeris & dicaris juſtus*? Ijobo nunquam id fuit propoſitum, ut optimam Dei eſſentiam corrumperet, eoque pacto (quod vel cogitatu abſurdiſſimum) animi ſui indolem redderet elegantem. Recte igitur Vulgata iterum: *Numquid condemnabis me, ut tu juſtificeris?* id eſt, uti *Vatablus* exponit, ut tu appareas juſtus. Recte etiam Menochius vocem תפר pro verbali habendam cenſet: *Improbabis*, explicans, *judicium meum*, & illud *injuſtum eſſe dices* & iniquum: cum quo conſentiunt Philippus, Thomas, Nicolaus, Dionyſius, Vatablus, Cajetanus, Steuchus, *Pineda* teſte p. 612. Conferatur omnino quoque *Corderius* p. 696.

THESIS SECUNDA.

Ratio formalis divinæ remiſſionis peccatorum conſiſtit in depoſitione divinæ & quidem iratæ peccatorum noſtrorum memoriæ, non in extirpatione labis peccaminoſæ in converſis adhuc reſiduæ.

Probatio.

Expendi in hanc rem merentur verba Ijobi cap. X, 5.6. *Numquid ſicut dies hominis ſunt dies tui? Num anni tui ſunt ſicut dies viri?* (Regis aut Principis magna potentia & dignitate conſpicui) *ut eapropter inveſtiges* (me quamvis ſerio deprecante) *meam iniquitatem, & in peccatum meum inquiras?* Sunt in

his

his quædam pia animadverſione omnino digniſſima (α) Ijobus, capite hoc decimo calamitatis ſuæ felicem terminum multis argumentis ſollicitat. (β) Interrogandi formula, qua hic utitur, æquipollet propoſitioni fortiter neganti: ejusque neceſſarium conſequens eſt deprecatio divinæ peccatorum inveſtigationis ac ſcrutationis. (γ) Magnates terræ brevi ſuam abſolvunt periodum, quandoque etiam violentis manibus ſubditorum juſto maturius pereunt. Id cum ſatis noverint, adeoque opportuna his malis remedia adhibenda eſſe cenſeant, ideo ſollicite inveſtigant iniquitatem ſubditorum rebellium, quomodo ſe habeant ſecundum ſubſtantiam ac effectus ſuos, ſcrutantur eorum peccatum ex vindictæ propoſito, immittunt, quas merentur, pœnas, nec quicquam morantur ſeriam criminum deprecationem, ne indulgentiæ facilitas audaciæ facem præferat, & nova inſidiarum fiat cauſa ac occaſio. Quod ſi forte imperii ratio id non permittat, tum alta mente delicta illa reponunt (conf. תשמור Pſ. 130, 3.) diſſimulant tantisper iram, tanto largius eam idoneo tempore effuſuri; nulla ſane alia de cauſa, quam quod vita ipſorum turbulentorum ingeniorum inſultibus ſit expoſita. Atque hoc dum faciunt, *retinere peccata* rebellibus civibus dicuntur. (δ) Hæc ad Deum applicans Ijobus, diſparem ejus ait eſſe conditionem; quippe cujus annis nullum à facinoroſis immineat periculum: nullam igitur cauſam eſſe, cur, Ijobo veniam rite flagitante, iniquitatem ipſius accurate perveſtiget, cur in memoria cum vindictæ propoſito & indignatione vehementi retineat. Id vero dum dicit, implicite contendit, *nolit Deus iniquitatem ſuam inveſtigare*; quod ipſum iterum aliud non eſt, quam petere delictorum veniam. Habemus igitur quod quærimus; divinam peccatorum remiſſionem nihil eſſe aliud, quam ceſſationem iratæ inveſtigationis ac memoriæ delicto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

rum. Sed nec alia in libro Ijobi, quæ theſi huic robur ac firmamentum afferant, loca deficiunt. Conſideretur querela c. XIV, 17. חתם בצרור פשעי Si ex magnitudine ærumnæ, inquit, res æſtimanda erit humano more; *manet adhuc in faſciculo a Deo obſignatum*, quod ab officio boni civis ex humana infirmitate a Rege meo quam ſæpiſſime defeci & receſſi. Priſci homines res eas, quarum memoriam ſibi effluere nolebant, inſcribebant membranulis, convolvebant in faſciculum, colligabant, muniebant ſigillo, recondebant loco tuto. Ijobus ex eo more phraſin deſumſit, in Deo prævaricationum ſuarum memoriam iratam manere, ſignificaturus. Id vero non poteſt non eſſe peccatorum retentio. Vi igitur oppoſitionis, Deus peccata remittit, quando membranarum, quibus peccata noſtra inſcripta habet, ſigilla rumpit, ligamina diſcindit, faſciculum explicat, lituram ſcripturæ inducit, id eſt, cum iratam eorum memoriam, ac conſequenter juſtum ultionis propoſitum ex animo ſuo (uti Scriptura ipſa ἀνθρωποπαθῶς loquitur) delet. In fine libri Ijobi c. XLII, 7. quædam etiam leguntur ſententiam noſtram confirmantia. Alloquitur ibi *Jehova* Eliphaſum: *Exarſit ira mea in te & in duos ſocios tuos, quod rectum* (verbo meo ac veritati congruum) *locuti non eſtis. Aſſumite proinde juvencos, & procurate eos offerri veſtra cauſa holocauſtum ab Ijobo. Fundat quoque pro vobis preces ſervus meus Ijobus. ejus enim faciem acceptabo* (in veſtra cauſa exaudiam) *ita ut non ſim vobiscum acturus ſecundum ſtultum illud facinus veſtrum.* Nexus verborum manifeſto docet: ſacrificia & preces Ijobi nullum alium in finem hic requiri, quam ut fervens ira Dei ſedetur, & pœna perverſis ſermonibus promerita avertatur. Hunc, inquam, fructum in animis Ijobi holocauſtum hoc habere debuit. Jam vero Deus Lev. 1, 5. modum holocauſti offerendi præſcribens

pollicetur, juvencum ex ipſius præſcripto tractatum vere acceptum Deo, idque לו in offerentis emolumentum inſigne, nempe לכפר עליו *ut expiet offerentem.* Expiare itaque peccata, ſive peccatorum veniam procurare, nihil eſt aliud, quam a Deo impetrare, ut deſinat adverſus reos peccatorum cauſa iraſci, nec ex fervoris juſti ſtimulis ſecundum ſtultitiam eorum agat. Quo ipſo quam clariſſime indoles divinæ remiſſionis peccatorum, prout eam Eccleſia profitetur Evangelica, indicatur. *Vulgatus Interpres* (quem tanquam unicum illud Romanæ Eccleſiæ oraculum merito præ aliis ipſis opponimus) Lev. 1,4. vertit: *Hoſtia holocauſti erit acceptabilis, atque in expiationem ejus proficiens.* Proh! quæ tandem Latinorum aures admiſerint, aut ferre unquam poſſent, *expiationis* voce ſuffocationem, extirpationem, & eradicationem vitiorum animæ exprimi? qua unice ad iram partis offenſæ, a qua reus liberandus eſt, reſpicitur.

Thesis Tertia.

Impetrata a Deo delictorum venia, innoteſcit nobis, certe extra tentationis ſtatum, ex ſancto Dei verbo, ex contritionis ac fidei noſtræ examine, ex Spiritus S. teſtimonio, depulſam jam eſſe ex mente Dei infeſtam delictorum noſtrorum memoriam cum ultionis propoſito, eſſe nos jam dilectos Dei filios, fore etiam, ſi in hoc perſeveraverimus ſtatu, vel ſaltem, ſi ad eum in fine vitæ redierimus, olim ipſius heredes. Atque adeo datur certitudo impetratæ veniæ, ex qua conſurgit animæ quies, ingens lætitia, ingenua in compellando Deo parrheſia.

Probatio.

Zophar c. IX. 13, 14. ſuſpicans ex morbi gravitate ac pertinacia, Ijobum adhuc non fuiſſe ſincere pium, eum hoc argumento ad pœnitentiam extimulat: *Numquid tu recte hactenus compoſuiſti animum tuum*, ea appetendo, amando, averſando, quæ appeti, amari ac rejici debebant? *Num extendiſti ad Deum manum tuam*, ex ſincero gratiæ auxiliique deſiderio, cum fiducia & ſpe? Vix crediderim. *Quod ſi ergo iniquitas* (ſimulata pietas) *eſt in manu tua*, *remove illa*, addita fiduciali ejus deprecatione, *nec permittas habitare in tentoriis tuis injuſtitiam. Etenim tum levabis faciem tuam liberam a macula*, id eſt, gaudebis ex animo, conceſſa delictorum venia, idque jure, utpote immunis a fœdiſſima animi tui labe. Levant enim faciem, quos conſcientia admiſſi delicti & probri amplius non deprimit, quos reconciliatus offenſi Magiſtratus animus exhilarat; cum lætitia faciem erigat, frontem exporrigat: uti e contrario mœror frontem contrahit, faciē dejicit. Imo vero rei crimina ſua ſerio dolentis, removentis ac deprecantis dejectam faciem nihil quicquam poteſt erigere præterquam fiducia de clementia patris, heri, aut principis concepta, ſpes conſequendæ veniæ, & certa perſuaſio de jam obtenta. Pollicetur autem Zophar conſtantem elevationem vultus. Præmittit igitur implicite divinam manifeſtationem conceſſæ delictorum veniæ. Pergit autem: *Eris quoque firmus velut columna ex ære fuſa.* Inſignis h. l. eſt vis vocis מוּצָק quam frigide expreſſerunt *Judæi Hiſpani:* y ſeras fuerte y no temeras, & *Joſephus Athias* in nupera Amſtelodamenſi Germanica: **du wirſt ſtarck ſeyn.** Melius ejus æmulus *Uri Veibs* in ſua Amſtelodamenſi: **du wirſt befe-**

ſtiget ſeyn. Et Genevenſium noviſſima: *Tu ſeras ferme.* Angli item: *thou ſchald be ſtadfeſt.* quo tendit etiam gloſſema R. Abrahami Perizolidæ חזק שלא יש׳א׳ך מן המק׳ס & Salomo Jarchi, qui huc locum trahit 1. Sam. II, 8. מְצוּקֵי אֶרֶץ *ſoliditates* (firmiſſima fundamenta) *terræ.* Conf. Ijobus c. XLI, 14, 15. Scilicet opponitur conſolidata hæc animi firmitudo (uti Coccejus quoque monuit) pavori ab ira Dei. Ubi metus enim impendentis a Deo ſupplicii abeſt, ibi ſancta & exoptatiſſima ſuccedit animæ quies, & non poteſt non mens certa eſſe de ſua in antea amiſſam Dei gratiam reſtitutione. Cohærent enim hæc nexu plane adamantino. Zophari ſuccinit Eliphaſus c. XXII, 23, 26. Ijobum his compellans verbis: *Accipe, quæſo, ex ore Dei doctrinam* tibi jam valde neceſſariam ac ſalutarem; *& repone verba ejus in animo tuo* cum obſequio debito. *Quod ſi enim convertes te ſerio ad omnipotentem, ædificaberis — & in omnipotente te admodum oblectabis* (poteſtne hoc fieri durante adhuc ſuſpicione, Deum a nobis capitali diſſidere odio ob patrata delicta?) id eſt, animo meditaberis, Deum Opt. Max. Patrem tibi eſſe, Redemptorem ac tutorem plane propitium, miſericordiſſimum &c. & ex iſta meditatione eam capies animi voluntatem, quæ humanos ſenſus omnes longiſſime excedat, *& elevabis*, filii reconciliati adinſtar, *ad Deum faciem tuam.* Quid vero de ipſo Ijobo dicendum? Is ſane in ferventi tentationum ſuarum æſtu certum habebat, Deum antehac ipſi impenſiſſime faviſſe, *Dum adhuc*, ait c. XXIX, 5. *omnipotens mecum erat*, &c. Non ignorabat Ijobus, Deum a nullo, quamvis facinoroſo, mortalium abeſſe. Sed quando pii homines gloriantur, Deum ſecum fuiſſe aut eſſe, fit id cum tacita ἐπιτάσει, nempe, dum Deus mecum erat ſingulari amore, propenſa benevolentia, provida ſalu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

tis cura. Hoc vero qui in ſe agnoſcit, non ſine graviſſima contumelia de ſalute ſua incertus haberi debet. Sed & propudioſa eſt temeritas, turpiſſimo figmento innixa, Ijobo ſoli cum paucis quibusdam extraordinariam aliquam in hac cauſa revelationem tribuere, & reliquos omnes חסידי אל fluctibus ἀνεμιζομένοις per omnem vitam ſimiles æſtimare.

Thesis Quarta.

Propter delicta in vitâ antea admiſſa & ſuperſtitem animæ labem moralem triſtibus non rarò urgentur caſibus juſtificati, neque tamen veram patiuntur illarum pœnam.

Probatio.

Vera pœna eſt afflictio ex irato animo & vindictæ propoſito in compenſationem delicti & conceptæ iræ manifeſtationem. Monitum autem jam antea, in peccatorum venia, quam juſtificati conſecuti ſunt, ceſſare iram, & vindictæ propoſitum, nec intendi amplius delicti compenſationem, aut iræ declarationem. Evincunt idem ſequentia ex Ijobi libro depromta oracula. Ijobus cap. 1. illuſtri ornatur elogio, quod fuerit תם וירא אלהים וסר מרע i. e. *ſincere pius, recta agens, Deum timens, alienus à proæreticis peccatis.* Exuit eum Satanas, Deo permittente, omnibus opibus, irritabat conjugem, occidit ſubito caſu filios, tandem & fœdiſſimo morbo optimum hominem miſere excarnificabat. Quantus hic malorum cumulus? quis hæc talia divinis ſuppliciis promte non annumeret? At fata hæc, quam ſæva tandem videantur, nihil minus

nus erant, quam pœnæ irati judicis. Non enim ex indignatione, nec in ἀντίδοσιν ἀνομίας, ſed ex conſilio longe diverſo & ſanctiſſimo, ad retundendas Satanæ calumnias, ad majorem Dei gloriam, in pietatis Ijobææ decus (quo omnibus conſtaret, non ob liberorum & opum copiam, aut ſanitatem validam, Deum ſuum complecti, ſed ob perfectiones ipſius infinitas, ob opera ejus inſignia, & præcipue ob εὐλογίαν πνευματικὴν) immittebatur. Cœcum eſſe oportet, qui hæc ex c. I. & II. Ijobi non intelligat: ſtolidum, qui ex ærumnis juſtificatorum, remiſſo delicto, pœnam ejus tamen reſiduam eſſe adhuc, contendat. Nunquam id admittet hiſtoria Ijobæa, ſed nec admittet Ijobi amicus Eliphaſus. Is utut in ſumma cauſæ cum duobus reliquis ſociis hallucinetur, ſapientiſſime tamen de miſeriis piorum diſſerit c. V, 17. *Ecce beatus eſt homo, quem Deus* (poſt conceſſam veniam) *caſtigat*, i. e. ob commiſſa delicta, & reſiduam animæ maculam, triſtibus ſæpe angit ærumnis, ad acuendum in eo peccati odium, ad excitandum pietatis ardorem, ad debilitandam reſiduam animæ in prava propenſionem, ad præcavendam recidivam, ex mera ſollicitaque ſalutis ipſius, quæ patrem decet, cura. *Itaque caſtigationem Dei ne ſpernas. Namque ille dolore quidem te afficiet*, ſed &, ſi digne feres illam caſtigationem, *obligabit tandem* inflicta vulnera. Genuinam hanc eſſe mentem Eliphaſi, adeoque juſtificatorum acerba fata in claſſe pœnarum proprie dictarum non contineri, facile ex oppoſito patebit. Fac Eliphaſum hoc voluiſſe: Ecce beatus eſt homo, quem Deus poſt veniam peccatorum vere & ſerio obtentam affligit graviter ex indignatione priſtina adhuc fervente in vindictam criminum condonatorum: quis aliena magis unquam protuliſſet? quis ſanæ mentis non contradiceret,

& mi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

& miſerrimam potius ejusmodi hominum ſortem eſſe judicaret? An vero horrendum non eſt, incidere in manus Dei inimicas? Vivitne ſub Principe clementiſſimo, an vero crudeliſſimo Tyranno, qui poſt promiſſam ſcelerum graviſſimorum veniam, poſtea paucis diebus, menſibus aut annis, graviſſimis & violentis ictibus obruitur, & pro indulgentiſſimo, quem ſibi, probitate Principis motus, perſuaſerat, amore truculentum jam animum nulla ſuppeditata nova cauſa experitur? Quid? quod Ijobus noſter, utut impatientia abreptus ſæpe ea effuderit, quæ veritatem propitiam non habebant, de ſua tamen & aliorum renatorum calamitate ſubinde ſanctius judicat. Conſiderentur verba c. VII, 17. 18. *Quam ærumnoſus eſt homo in terris! Etſi enim* illum poſt veniam in fide cupide quæſitam & acceptam *evehas*, largiendo ἐξουσίαν υἱὸν θεοῦ γενέσθαι, pluraque alia beneficia, *etſi etiam adjungas id illum animum tuum* pro ipſius ſalute, quæ caſtigationum ſuarum ſcopus eſt: tamen *viſitas eum* virgis tuis *in horis matutinis* (id eſt, mature, & quoties ex re ipſius videtur eſſe) *in ſingulis momentis exploras eum.* Adhibet in textu verbum בחן quod qualem explorationem exprimat, optime ipſe Ijobus c. XXIII, 10. explicat: *Novit viam meam*, בחנני כזהב אצא *probat me & ſicut aurum ex eo.* En veram faciem afflictionum, quas juſti perferunt! Probantur, ut auri inſtar ex catino puriores exeant. Non eſt primario hic ſcopus punientis & irati judicis, qui deſtruit & vindicat nulla habita emendationis in punito ratione. Dei caſtigationes in piis res maximæ ſunt miſericordiæ. Habet enim in renatis quod oderit, omnes nempe illas ſcorias, quarum cauſa etiam ipſosmet averſaretur, niſi ſanguis Chriſti ipſis aſperſus omnem aboleret iram ejusque circumjecta

ſancti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

ſanctitas inſignem conciliaret favorem. Uti aurifaber itaque injicit aurum ferventi catino, non odio auri, non vindicta adductus, ſed unice purgandi ſtudio, ita rerum adverſarum ignibus ſordes animæ paulatim exurit, *ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου, τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου; εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον καὶ τιμὴν καὶ δόξαν, ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ*, 1 Pet. 1, 7. Non poteſt colliquatio & excoctio auri proprie pœna dici, propter primævam ejus & inſignem impuritatem ejusque reliquias inflicta. Verum ut taceam, hoc omne, quod ita dicitur, inter aniles nugas merito referendum eſſe: applicatio hujus ſomnii difficillima ſane fiet ipſismet *Pontificiis*, quod paucis adhuc oſtendam. Fatetur *Synodus Tridentina*, in juſtificatis eſſe *concupiſcentiam pravam*. Seſſ. v, c. 5. *eſſe in illis peccata levia, peccata venialia, eaque eſſe quotidiana*, Seſſ. VI, c. 1. addit Bellarminus, l. v. de amiſſ. Grat. c. XIX. §. Ex quo; *habitum vitioſum acquiſitum etiam valde intenſum eſſe ſimul cum gratia in multis juſtificatis; eſſe eos ob aſſuetudinem ita curvos, ut non poſſint niſi difficulter admodum corrigi.* Jam vero concupiſcentia prava, peccata levia, peccata venialia, peccata quotidiana, & habitus vitioſus acquiſitus, ſunt ſua natura odio digna. Nihilominus in renatis non contrahunt ſibi Dei odium, ex ſententia Romanæ Eccleſiæ, eo quod renati ob habitualem fidem, ſpem & charitatem ſunt vere digni Dei amore atque cœlo ipſo, ex ejusdem mente. Etenim IN RENATIS NIHIL ODIT DEUS, Seſſ. v. c. 5. Jam componantur hæc: *In juſtificatis concupiſcentiam pravam, aliaque per ſe odio digna, Deus non odit, nec averſatur ipſosmet juſtificatos, ſumit tamen de illis proprie ſic dictum ſupplicium.*

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur!

Subla:a autem hac doctrina Pontificia, quam abſurdum eſt heau-

tontimoriis poſt obtentam juſtificationem ſemet macerare ad præcavenda divina ſupplicia? quam abſurdum, Deum rogare, ut inhibeat ferventem adverſus pias defunctorum animas iræ æſtum, ſuppliciaque in illis exercere deſinat? *Ad populum phaleras!*

THESIS QUINTA.

IN adverſis Sanctos demortuos, ut intercedendo apud Deum aut opitulando nobis præſto ſint, invocare mera eſt impietas & inſania.

Probatio.

Pontificii ſcriptores, quoties de invocatione Sanctorum nobiscum in aciem deſcendunt, nulla veteris Teſtamenti verba in ore frequentius habent, quam Eliphaſi c. v. 1, 2. ut *Bellarminus* non tantum *magnum ex hoc loco firmamentum ſumere ſuam de invocatione Sanctorum ſententiam*, & *Corderius* Jeſuita *inprimis locum hunc illuſtre pro Sanctorum RELIGIOSO CULTU præbere teſtimonium contra hujus temporis hæreticos, qui Sanctos ullo modo aut ratione invocandos eſſe a nobis negant*, putaverint; ſed & nuper *Johannem Dezium* Jeſuitam in tractatu de Reunione Proteſtantium Argentoratenſium cum denuo nobis objicere non puduerit; & nullus eſt tamen in tota Scriptura locus ipſorum cauſæ magis adverſus. Aut me omnia fallunt, aut *Vulgatæ verſionis* hallucinatio in lapſum ſecum Thomam & ſui ſimiles, i. e. Hebræorum fontium ignaros, adduxit, ut eo teſtimonium hoc referrent. Quæ in Vulgato enim leguntur: *Et ad aliquem Sanctorum convertere;* interrogative ſunt ab Eliphaſo expreſſa ואל מי מקדושים תפנה *& ad quem Sanctorum te convertes?* ubinam

nam eſt ille Sanctus, qui Tibi reſpondeat, aut opem ferat? & ad quem de Sanctis intueberis? uti recte vertit *Bolducus*. cui conformes ſunt *Judæi Hiſpani*: y a quien de ſantos catarás? Athias & Veibiſius: **und zu wem von den Heiligen wilt du dich kehren?** ſcilicet, ut recte ſupplet Moſes Nachmanides לענות אותך *ut tibi reſpondeant*, & Abraham Perizolides לא יענוך אם תפנה להם *non tibi reſpondebunt, etſi ad eos te convertas.* Sed præſtat paucis totum locum percurrere: קרא־נא *Clama, quæſo,* ad defunctum vel angelum quendam, *ut te ſublevet*. Per me licet, facias id tuo periculo. (Eſt enim permiſſio Ironica graviſſimam diſſvadendi vim habens, quod nonnulli quoque interpretes Pontificii viderunt. *Cajetanus* certe: *Voca nunc defunctum aliquem, quamvis ille ſanctiſſime vixerit, qui tuas partes agat ſcilicet; reſpondebit profecto nemo.* Conferatur etiam B. Glaſſii Rhetor. S. tr. 11. c. 6.) היש עונך *numquid eſt, qui tibi reſpondeat?* uti Deus per os & calamum legatorum ſuorum per ipſum quoq; Spiritum S. pectoris tui hoſpitem homini pio ſerio precanti ſvaviſſime reſpondere ſolet מענה בשמחת לבו *reſpondet gaudio cordis ſui*, uti ipſe *Coheleth* c. v, 19. *Et ad quem etiam e Sanctis* cœlicolis faciem tuam *convertes* opis petendæ & impetrandæ ergo? Eſt enim ea Emphaſis in verbo תפנה quemadmodum *Bolducus* pag. 218. recte annotavit, ut *non ſimpliciter reſpicere ſignificet, aut rem aliquam intueri, ſed cum quadam animi intentione, & ad aliquem finem.* Pergit deinde Eliphaſus. *Immo vero hominem ſtultum*, parum in adverſis ſuis Dei memorem, parum Deo innixum, parum Dei amantem, & de præſidiis quibusvis aliis ſollicitum, *perimet*, niſi mature reſipuerit, *indignatio* Supremi Numinis, *hominem fatuum* officii afflictorum obliviſcentem *occidet Zelus Dei* adulterium animæ quam indigniſſime ferentis. *Ego vero quæram,* quoties me ſors adverſa premet, *opem apud*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Numen potentiſſimum ואל אלהים *& in Deum*, in adorando Rectores terræ, Patrem, Filium, & Spiritum S. *deponam negotium meum* univerſum πᾶσαν μέριμναν ἐπιῤῥίψω. *Facit ille res magnas, nec accurata cognitio* earũ datur in ullo vel angelo vel homine. *Facit ille res miras, & quidẽ ut nõ ſit numero* &c. Hæc brevis eſt delineatio totius ſermonis, ex qua facile patet, quã parum roboris in illo error habeat Pontificius: quod cũ Theologus incomparabilis B. *Chemnitius* olim moneret, male poſtea ebrietatis, cum illa ſcriberet, a Bellarmino poſtulabatur, qui niſi ipſe partium ſtudio & voluptate corrumpendi ac defendendi omnia ebrius fuiſſet, nullo negotio veritatem in Ebræo codice pervidere poterat, nunquam deinde ad tantas ineptias deſcenſurus, ut: *ſi pro invocatione Sanctorum quæritur verbum expreſſum, hic ſane eſt expresſisſimum*, in l. II. de verbo Dei c. XII, ſcripſiſſet. Qui totum contextum a v. 17. c. IV. recte expendet, videbit ſane, quam futiliter Eliphaſus hic conſilium de invocandis demortuis Ijobo ſuggesſiſſet. Negaverat vir pius, hominem ullum cum Deo de juſtitia ſua poſſe contendere: Numquid abſurdum minus erat, ſuadere, ut demortuum aliquem ſibi Patronum & advocatum ſeligeret, qui cauſam apud Deum ageret? In v. I. membrum primum negative reſolvendum eſſe, tot videre Doctores Eccleſiæ Romanæ, cur non & ſecundum? An vero Bellarminus, qui inter Ebræorum Grammaticos nomen ſibi quæſivit, ignorabat pronomen מי interrogativum perſonæ eſſe? Enimvero ludit nos amabilis error! Tandem Pontificii ipſimet inter ſe tranſigant, errorisne an doctrinæ Catholicæ Patronum Eliphaſum ex ſuis hypotheſibus haberi velint. Quo tempore Ijobo hæc proponebantur, eo Sancti demortui, in Limbo, quem finxere, Patrum erant. In illo carcere numquid invocari debebant? Tridentina quidem Synodus Seſſ. xxv. non alios admittit invocandos ex Sanctis, *niſi jam regnantes cum Chriſto*.

Cate-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Catechiſmus quoque Tridentinus expoſ. orat. Dom. pag. 544. SANCTIS, QUI IN COELO SUNT, *Preces eſſe faciendas certum eſſe in Eccleſia Dei aſſerit.* Novi Cadmæam pugnam poſt ea tempora inter *Medinam*, *Leſſium*, *Bellarminum*, *Sinnichium*, & complures alios, exortam, quorum alii in oraculo hoc ambiguo Spiritus in purgatorio regnantibus cum Chriſto aſſociant, ſed invocandos non cenſent, alii plane excludunt, alii accenſent, & interceſſores noſtros non minus, quam in beatifica viſione conſtitutos eſſe defendunt. Noſtrum non eſt tantas componere lites. E re tamen Papiſtica erit, ſi porro hæreticis ex Eliphaſi teſtimonio Religioſus cultus Sanctorum perſuaderi debet. Ut verba enim in S. codice nunc leguntur, oppugnant, non defendunt ſententiam Romanam, immo vero ſtultitiæ accuſant, & Dei iram Sanctos invocantibus denunciant: ut verba autem Synodi ab iis qui mentem habent, audiuntur, Patres veteris Ebrææ Eccleſiæ in numero interceſſorum plane illa reddent depontanos; niſi forte tenebroſæ cavernæ includi illa ipſa ſit felicitas, quam poſſident quotquot a Chriſto in regnandi ſocietatem admittuntur. Quædam adhuc adjicienda ſunt de loco c. XLII, 8. ad quem Bellarminus l. I. de Invocatione Sanctorum c. 2. annotat; *Ite ad ſervum meum Ijob; en mandatum! & ipſe orabit pro vobis; en exemplum! ego ſuſcipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur ſtultitia, en promiſſionem!* Miſerum profecto argumentandi genus. Zophar petit ab Ijobo ſecum in terris vivente, ut ſua cauſa faciat holocauſtum & preces: Ergo a defunctis piis auxilium reale, quo indigemus, eſt efflagitandum? Pii mundi hoſpites ob ſuam *ἀδιαστασίαν* poſſunt nobis adeſſe, & vocem noſtram audire, non item qui ſupernas incolunt ſedes. Deus promittit de Ijobo פניו אשא *faciem ejus ſuſcipiam.* Ergone ex merito pietatis Ijobææ, de cujus imperfectio-

perfectione tota hiſtoria locupletiſimus teſtis eſt? Dices: numquid Ijobus non placuit Deo in ſuo inhæſive ipſi proprio ornatu, in morum innocentia, fide viva, ſpe & charitate, in virtutibus denique omnibus? Omnino. *Diligentes enim me diligo.* Verum uti Paulus propter morum ſuorum innocentiam non eſt juſtificatus: ita Ijobus propter eximiam ſuam pietatem in petitione veniæ non eſt exauditus.

Thesis Sexta.

Pii in hac vita jam ex ἀβλεψία, jam ex προλήψει, multa, quæ minime debebant, ſecum meditantur, affirmant, negant, appetunt, averſantur, dicunt, faciunt, intermittunt. Hæc venialia quidem vulgo vocantur peccata, ſed veri nominis peccata ſunt. Sunt, inquam, ἀνομία in Decalogo vetita, eique adverſa; ſunt vere meritoria iræ Dei, ipſiusque inferni; ſunt ſua natura apta ad iram Dei, illi, qui his commaculatur, cum ipſis æternis ſuppliciis accerſendam.

Probatio.

Teſtis hujus rei Ijobus eſt. Is calamitatum mole preſſus, & diſputationis fervore abreptus, in ſuis de divina rerum humanarum cura ſermonibus hominem ſe eſſe ſæpius oſtendit. Reprehendebatur ea de cauſa ab ipſo Deo, & divina illa ἐπανόρθωσις ingenuam ipſi hanc exprimebat confeſſionem c. XLII, 3.4.5 *Agnoſco, me eum eſſe,* quem tu ſupra accu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

cuſaras, *qui obſcurat conſilium ſine ſcientia; ideo factum eſt, ut commemoraverim, quæ non intelligebam. Audi quæſo, ego enim loquar, interrogabo te, notum mihi facias. Auditu auris meæ audivi te ineptias meas corripientem; & nunc oculus meus vidit te in procelloſa nube mihi præſentem. Ideo averſabor deinceps ſermones meos præcipitatos, meque eorum pœnitebit in pulvere & cinere.* Argumentor: Cujus rei agnitionem Deus ipſe ſua præſentia & colloquio procuravit, cujus item rei pœnitudo animum Ijobi ita ſubiit, ut in pulverem deſideret, ac cinere verticem fœdaret, illa eſt veri nominis peccatum. Atqui Deus ipſe ſua præſentia & colloquio procuravit, ut Ijobus agnoſceret imprudentes linguæ ſuæ lapſus, & eorum quoque vehementer Ijobum pœnituit. Ergo peccata Ijobi venialia ſunt veri nominis peccata. Nemo enim negat, imprudentes linguæ lapſus peccata eſſe venialia, i. e. ſtatim veniam ob continuationem veræ fidei conſequentia. Sed & alia ex his verbis poriſmata deduco, quæ huc afferre conſultum erit. (α) integerrimus ac Sanctiſſimus vir Ijobus lingua ſua vere peccavit contra legem Dei moralem. Ergo nemo omnino mortalium poſt ſuam converſionem illi plene ſatisfacit. (β) Nemo hominum poſt ſuam converſionem peccata omnia venialia (niſi ex ſpeciali privilegio) vitare poteſt, fatente Trid. *Syn. Seſſ. VI.* c. 23. Peccata vero venialia ſunt peccata proprie ſic dicta, Ergo nemo mortalium poſt ſuam converſionem vitare poteſt peccata vere ſic dicta; conſequenter (γ) nemo poſt ſuam converſionem perfecte ſatisfacere poteſt legi divinæ (δ) Dei præcepta, quatenus omnia omnino venialia peccata prohibēt, homini juſtificato ad obſervandum ſunt impoſſibilia, (ε) Deus jubet in Decalogo ea quæ nobis poſt primorum parentum Apoſtaſiam ex accidenti (vi congenitæ labis) ſunt impoſſibilia, quatenus omnia omnino in eo prohibet peccata venialia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

alia. (ζ) mandata Dei, quatenus univerſis interdicunt peccatis venialibus, ſunt omnino gravia, ſunt jugum viribus juſtificatorum impar, ſunt onus δυσβάστακτον. Hæ concluſiones univerſa Seſſionis VI. Trid. c. 11. & 16. evertunt. Quod ſi quis adhuc forte excipiat: Utut Ijobus gravem hauſerit dolorem ex inficeto ſuo ſermone in pulvere & cinere, non tamen illum feciſſe contra legem Dei, ſed tantum præter illam, atque adeo non fuiſſe verum peccatum; Reſpondeo: Quem unquam ſapientem ſermonis ſui habiti vehementiſſimum cepit tædium, inquo ille nil quicquam contra prudentiæ regulas admiſit? Ergone Ijobus, vir tantæ prudentiæ, mœrorem contraxit ex ſermone nec ἐννόμῳ, nec ἀνόμῳ, ſed μέσῳ, atque adeo plane indifferenti? Deinde ipſa Tridentina Synodus Seſſ. VI. cap. 11. profitetur, propter peccata venialia humilem hanc eſſe juſtorum vocem, eamque VERACEM; *Dimitte nobis debita noſtra*, ſane moralia. Si hæc juſtorum enim vox de peccatis juſtorum venialibus verax eſt, tum peccata juſtorum venialia oportet eſſe vera debita moralia. Si vera ſunt debita moralia, vera erunt peccata, utut non ſint tam atrocia ratione circumſtantiarum, nec tam noxia, ut ſunt mortalia. Verũ, quod per conſequentias adhuc ex Ijobi hiſtoria elicimus, id jam diſertis teſtimoniis comprobamus theſi ſequente.

THESIS SEPTIMA.

NEmo piorum Decalogo Dei poſt ſuam converſionem atque renovationem in hac vita plene ſatisfacit.

Probatio.

Hæc eſt mens & doctrina Eliphaſi, quam peculiari revelatione ſibi innotuiſſe, vel ſaltem confirmatam fuiſſe aſſerit c. IV, 16. ſeq. ubi vide, quæ Theologus maximus, & de Ijobi libro & aliis Dei ſcriptis optime, ſi quis mortalium, meritus, D. D. *Sebaſtianus Schmidius*, egregie monuit. Verba præclari oraculi ſunt: *Numquid homo præ Deo juſtus eſt? num præ factore ſuo purus erit vir? Ecce in ſervis ſuis non fidet, & in angelis ſuis ponet immenſam diſtantiam*, i. e. longiſſime eos a perfectione & puritate ſua abeſſe judicabit. Vox תָּהֳלָה quæ omnes fere torſit Interpretes, non reddi debet per *Stultitiam*, nec per *Lucem*, uti per *Claridad* Hiſpanus, quem Athias ſecutus eſt, expreſſit, multo minus per Unſinnigkeit / uti inſanus *Veibiſius* tranſtulit, nec a radice הלל derivanda, cum in ejusmodi derivativis ultima radicalis non ita penitus elidi poſſit, quin Dageſch compenſativo indicetur, uti in תפלה a פלל in תהלה ab הלל manifeſtum eſt. Sed debet hoc nomen potius originem radici deperditæ הלה, quemadmodum ab אוה formatur תַּאֲוָה ab אלה fit תַּאֲלָה Hujus autem verbi ſignificatio olim quæ fuerit, oſtendunt quædam ex eodem derivata in codice S. adhuc reſidua, e. g. particula הָלְאָה de qua *Kimchi* in libro *Schoraſchim* ſcribit היא מלה מורה על רחוק המקום והזמן *exprimere illam vocem diſtantiam ſive longinquitatem loci & temporis.* Similiter occurrit vox הַנַּהֲלָאָה apud Micham c. IV, 7. eamque *Athias* ipſe vertit, weit verſtoſſene / plane uti & Kimchius per הרחוקה והנדחה explicat. Erit igitur, תָּהֳלָה *diſtantia*, & quidem *longiſſima.* Inter verſiones omnes, fateor, maxime tolerabilis eſſet ea, quæ per *ſplendorem* tranſtulit: ſed duo maxime eidem obſtant (1) quod R. הלל *radian-*

di notionem habeat tantum in Hiphil, ex qua vero conjugatione vox תהלה formari non potuit (2) Quod connexioni iſte ſignificatus parum ſatisfaciat. Quomodo enim cohærent? *En! in ſervis ſuis* Deus *invenit imperfectionem*, *& in angelis ſuis poſuit lucem? Quanto minus homo coram ipſo juſtus eſt?* Ita enim pergit Eliphaſus: Quanto minus (reddi tamen אף in textu commode quoque poteſt, *Ergo etiam*) *illi qui inhabitant* ſecundum animam ſuam rationalem *domus luteas. Nonne ablata eſt dudum ab ipſis excellentia* imaginis divinæ? *Morientur* tandem omnes ſuo quisque tempore, *ſed non in ſapientia* olim concreata, & ſuis numeris, quousque lex eam exigit, abſoluta. Sed præ cæteris nobis hic animadvertendus Ijobus ipſe. Is ſane quam juſtus tandem fuerit, & graviſſimæ magnorum ſcelerum imputationi contradixerit, peccatorum tamen cenſu ſe plane nunquam exemit. Audiamus ipſum Deum alloquentem c. VII,20. PECCAVI. *Quid faciam tibi, Servator hominum?* id eſt, nihil præſtare queo, quo tuam mihi gratiam meo quidem merito denuo conciliem. *Quare ergo ponis me in objectum incurſionis tibi;* quaſi meritoriam tui reconciliationem a me per vim eſſes extorſurus mihi? *ut* inde *mihi ipſi fiam onus*, faſtidioſam vitam degens, & voluptati dolendi nimium indulgens. *Quare non potius remittis*, tollis, removes e memoria infeſta defectionem meam, *& auffers* i. e. tranſire pateris ab intuitu infenſo tuo, iniquitatem meam, ſi forte eorum inimica recordatio in te adhuc ſupereſt, & hæc mihi ſæva fata accerſit? Condona, quæſo. *Etenim jamjam fortaſſe in pulverem decumbam, & viſitabis me mature* ad repetendam animam meam. *Tum non ero amplius* inter mortales. Opus igitur mihi omnino eſt matura peccatorum venia. Idem ſui ſimiles homines quoscunque eſſe gravi aſſeveratione ediſſerit c. IX. v. 2. 3. אמנם ידעתי

Profecto

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Profecto novi, quod ita ſe res habeat. *Et in quonam juſtificabitur homo cum Deo? Si voluerit hic contendere cum eo*, ſi inſtar judicis offenſi in ſtatum animi corporisque & univerſos eorum motus inquirat, ſi in lucem eos protrahat, omnem in illis fœditatem obſervet, dehinc jubeat, ut homo ſe crimine vacare probet, & ad objecta reſpondeat; *Sane non reſpondebit illi*, *ne unicum* quidem verbum quod juſtum ſuſtinere poſſit examen, contra mille adverſus illum prudentiſſime prolata verba. Evidentia verborum *Menochio* expreſſit interpretationem: *Si mille Deus objiciat, non habebit homo, quomodo vel uni capiti ſatisfaciat.* Quam abſurde igitur pro poſſibili pleniſſima mandatorum Dei obſervatione tot argumenta Pontificii conglomerant? Eleganter *Gregorius M.* in h. l. *Sanctus vir, quia OMNE virtutis noſtræ MERITUM VITIUM eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitrio diſtincte judicetur, recte ſubjungit: Si voluerit contendere cum Deo, non poterit illi reſpondere unum pro mille.* Unum adhuc monendum eſt, de abuſu nempe *Interpretis Vulgati*. Is h. l. vertit: *Non juſtificatur homo compoſitus cum Deo. Componi* olim dicebantur gladiatores, qui in palæſtram ſimul deſcendebant & pugnabant. Ita notæ ſunt apud Ciceronem *compoſitiones gladiatorum.* Nihil aliud igitur voluit Vulgatus, quam, hominem, ſi cum Deo componatur, i. e. *litem coram tribunali ejus ſuſcipiat*, cauſſa caſurum, ob imperfectionem juſtitiæ, quam Deo ſecum de violata lege litiganti probare debebat. At Pontificii vocem *Compoſitus* hic pro *comparatus* cum Deo (uti expreſſe *Menochius*) accipiunt, &, ut eludant vim argumenti ex h. l. deſumti, multa de inæqualitate juſtitiæ Dei eſſentialis & juſtitiæ piis inhærentis ganniunt. Conf. Bell. lib. IV. de juſtif. cap. 10. Nos ab his Doctoribus, quod vere facere poſſumus, poſtulamus, ut nobis concedant, loqui Ijobum *de juſtitia, qua-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

lis eſt hominis, & quidem *poſt lapſum*. Noverat Ijobus, eſſentialem Dei & immenſam juſtitiam non modo poſt, ſed & ante lapſum in homine non fuiſſe, nec in angelis ante & poſt confirmationem. Noverat, hominem non fuiſſe, nec eſſe, nec fore Deum, qualis quidem eſſet, ſi Dei eſſentiali juſtitia ornaretur. Qua igitur prudentia vir ſapiens temeritatem amicorum ſuorum, ſi de illa juſtitia ſibi litem moviſſent, non graviter reprehendiſſet? Noverat, in judicio divino de defectu eſſentialis divinæ juſtitiæ rationem ſibi nullam reddendam, quam nec arrogare ſibi, nec Deus ab ipſo repetere vellet. Noverat, hanc tantam Majeſtatem non eſſe τῷ אֱנוֹשׁ *miſeri & ægroti* peccatoris. Sed nos hæc jam miſſa facimus, & porro Ijobum audiemus. Verſu 13. & ſequentibus idem inculcat: *Deus*, ait, *non removebit iram ſuam*, ſi pro merito mecum agere volet: *ſub ipſo incurvati ſuccumbunt* Diaboli, *qui* omni ſtudio *promovent ſuperbiam* inter homines. *Quanto minus ego reſpondebo ipſi* ſufficienter ad objecta mihi delicta, eumque in finem *deligam verba mea* apologetica coram ipſo, ſi judicio mecum experiri volet ſine Mediatoris interventu? *Imo vero licet juſtus fuerim*, quantum id renatis competit, *non tamen reſpondere potero. Judici potius meo*, urgente conſcientia, *ſupplex fiam*, & *culpam deprecabor*. Conferantur præterea c. IX. 28, XIV, 3. XV, 14, 15, 16. c. XXIII, 13. c. XXV, 4. c. XXXIX, 37. quæ loca omnia brevitati ſtudentes pluribus nunc non perſequemur.

THESIS OCTAVA.

Competit piis extra tentationis æſtum poſt examen ſui ipſorum accurate & ſine φιλαυτίᾳ *inſtitutum*

tutum haud dubia animi ſententia de fide viva, ſpe & caritate ipſorum pectori immorante, ut & de ſtudio bonorum operum ſine fuco occupato, & conſequenter de ſua converſione ac revonatione a Deo facta, ut & de venia atque adoptione ab illo impetrata. Verbo: *Competit ipſis, quod Scriptura vocat,* BONÆ CONSCIENTIÆ TESTIMONIUM.

Probatio.

Teſtimonio hoc adeo non caruit Ijobus, ut ad Dei ſcientiam provocet. Qua in re eum imitatus eſt Petrus Joh. XXI, 15. En verba noſtri ad Deum, c. X, 7. *In mente tua eſt, quod non ſim improbus.* Plenius de anteacta vita ſua judicium exponit c. XXIII, 11, 12. In *greſſu*, quem Deus nobis præcipit, *firmiter occupatus fuit pes meus. Viam*, a Deo nobis præſcriptam, *conſtanter ivi, nec declinavi ab ea ſciens & conſulto. Præceptum ex labiis* ejus profectum in *recenti habui* ſemper *memoria* velut actionum mearum normam, *nec removi* illud ex animo. *Non meum* animi *arbitrium, ſed verba oris ejus recondidi* in animo memore. Quid? quod eam ob cauſam animam ſuam vocet *ingenuam*, i. e. prono Dei & honeſti amore imbutam. *Perſequeris*, ait, *inſtar venti ingenuam meam*, c. XXX, 15. נדיבתי id eſt, animam plenam רוח נדיבה Pſal. LI, 14. Similiter oſtendit Ijobus ſuam de pietate ſua perſuaſionem certiſſimam, quando contra dira ſibi fata imprecatur, ſi quicquam ejus ſibi tribuat veritate invita. Conf. c. XXX. 24. 25. Quis etiam ſine ſtupore legat vitæ ipſius delineationem cap. XXXI. propoſitam. Non omnia, quæpiam tamen huc pertinentia ex prolixo illo ſermone transferemus.

feremus. v. 1. *Fedus pepigi cum oculis meis*, i. e. pollicitus ſum Deo, velle me oculos meos cohibere intra caſtitatis limites, ſpondens mihi reciprocum ejus favorem. *Quare enim animum applicarem* intentis oculis, & vetiti appetitus deſiderio *ad virginem*? *v. 2. Immo vero quale eſt præmium*, quod Deus impertitur libidinoſis ſuperne? *quænam eſt poſſeſſio*, quam Deus largitur *e ſublimi cœlo*? v. 3. *An non exitium* a Deo imminet *prævaricanti*, & *abalienatio*, qua a facie Dei removentur, *perpetrantibus iniquitatem*? v. 2. Annon *videt Deus vias meas*, *ac univerſos greſſus meos numerat?* v. 5. *Num ivi cum vanitate?* Num vitam inſtitui plenus vanis deſideriis ac conſiliis? *Num feſtinavit ad* patrandas *actiones fraudulentas pes meus?* Minime vero, v. 6. *Ponderet me Deus in lancibus ſuis* juſtis, poſito in lance altera piorum officio, in altera vita mea. Haud refragabor. *Etenim cognoſcet Deus ſinceram pietatem.* Magna profecto hæc eſt animi perſuaſio, qua noſtram mentis ſententiam Dei judicio accommodatam & conformem cenſemus, eique proinde committere totum negotium non veremur v. 7. *Si declinavit pes meus* a via recta conſulto, *poſt oculos quoque meos* ad intuitum boni alieni, propendit animus meus ad illud arripiendum, *& in manu meæ quicquam hæſit ejus*: v. 8. *tum ſeminem ego* in poſterum, *& alius conſumat proventus*, *& germina mihi* e terra naſcitura *eradicentur.* Non abnuam. v. 9. *Si allectus fuit animus meus* a cogenita labe *ad uxorem alienam*, *& ad januam proximi mei inſidiatus ſum*, *tum molat alii uxor mea.* v. 13. *Num ſprevi juſtam cauſam ſervi mei, & ancillæ meæ, cum controverſiam mecum habuere?* v. 16 *Num prohibui a re deſiderata tenues*, quo minus ejus, ſi in viribus meis id eſſet, facerem compotes, *& oculos viduæ conſumi feci*, vano opis meæ deſiderio, & *edi buccellum ſolus*, & *non edit pupillus de ea*? *Immo vero a pueritia mea*,

quamprimum per ætatem id fieri potuit, *ſuccrevit mihi tanquam patri pupillus; & ab utero matris meæ duxi viduam in rectam viam* conſilio & ope. Conſiderentur porro in illo c. v. 19. 20. 21. 24-32. Atque hæc in præſens oppoſita ſunto Romano-Catholicis. Tendimus nunc etiam ad

REFORMATOS.

Horum præcipuis Dogmatibus adverſam eſſe Theologiam Ijobi Evangelicam, ſequentibus Theſibus demonſtramus.

THESIS NONA.

OPtime Deus vult hominibus quibuscunque, quousque in terris vivunt, ea quoque de cauſa, quod opus ſunt manuum ejus.

Probatio.

Diſcimus hoc ex Ijobi verbis c. x, 3. *An acceptum tibi eſt, o Deus, ut opprimas, ſaltem, ut contemptim habeas opus manuum tuarum præſtantiſſimum, hominem? Num oculi hominis peccato corrupti ſunt tibi?* oculi odio ac nocendi ſtudio citra urgentem cauſam inflammati? *Num, ſicut intuetur homo* alter alterum ſæpiſſime, *tu nos intueris* pari livore & trucibus oculis? Ex his argumentor: Quicunque non habet acceptam ſibi oppreſſionem & contemptum operis manuum ſuarum præſtantiſſimi, hominis, is optime vult homini propter admirabiles dotes & ſtructuram ipſi in creatione tributas, quousque

non-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

nondum eſt conſummata ejus malitia, adeoque juſtitia vindex non poſtulat præcipitem ſtrenuamque perniciem. Item: Q. non habet oculos odio ac nocendi ſtudio citra urgentem cauſam inflammatos, is favorem ſuum plane non denegat ulli homini, eo quod eſt creatura ipſius, & quidem præſtantiſſima, quousque τὸ σήμερον καλεῖται. Item: Q. non intuetur ullum hominem cum inteſtino & implacabili odio ſine urgente cauſa, is propenſa benevolentia quoscunque homines complectitur, quousque vitæ ſpatium adhuc decurrunt. Sæpius hoc argumento (eximium ſane, quippe quod & Petrus I. Ep. c. IV, *19.* ſuis tacite inſinuat) Deo aggraveſcente miſeria proponit Ijobus. In c. x. 9. 10. 11. clamat: *Memento, quæſo, quod velut argillam tractaris me in matris utero*, formando ex ſemine corpus elegantiſſimum, *atque in pulverem me ſis redacturus* &c. Ex quo loco denuo argumentor: Quemcunq; hominem Deus velut argillam tractavit, in pulverem olim rediget, ſicut lac effudit, caſei inſtar coagulari ordinavit, cute carnes induit, oſſibus ac nervis compegit, vivum ac rationalem fecit, multis aliis beneficiis cumulavit (Conf. Matth. v. 45. Act. XIV. 17.) inter vivos per multos annos conſervavit, tantis beneficiis cumulatum eſſe, animo ſuo probe infixit, & adhuc meminit; illi, qua tali, non poteſt non bene velle, atque opportunas ſuppetias ferre, ſaltem uſque ad conſummationem malitiæ ejus. Applicentur hæc Cajino, Pharaoni, Judæ, &c. c. XIV. 15. idem repetit: *Voca me, quæſo*, ad te, *& ego reſpondedebo tibi*, per laudes ac euchariſtiam. *Operi manuum tuarum* præſtantiſſimo *bene velis.* Rei tam evidenti nihil aliud, quibus univerſalis Dei miſericordia res inviſa eſt & adeo incredibilis, opponere poſſunt, cur Deum ſummum

bonum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

bonum hominem, qua talem non ſincero amore complecti credendum ſit, quam, fas eſſe quidem id Deo credere, *ni forte odio inexorabili miſerum ejusmodi & ſupplicem inde a præviſa commune labe oderit*? Quod quidem ſi Creatori ſuo in mentem venire poſſe credidiſſet, proh! quam periiſſet omne precum pondus, omnis aſſenſus, fiduciæ, ſpeique in Deo ponendæ firmitas! Egregiæ vero & filio cœleſtis Patris dignæ preces: *O Domine, opus manuum tuarum ſub tanta animi corporisque calamitate gemens, ſincero amore complectere, ni forte confeſtim a præviſo communi lapſu odio in me exarſiſti immortali!* Quis talia fando non exhorreſcat potius, quam ut lætam de præſenti Numinis auxilio ſpem concipiat? Merentur hic commorari etiam illuſtria verba Eliphaſi c. XXII, 16, 17, 18. quibus Ijobum ab impia hypocriſi dehortari conatur, in exemplum ei profligatiſſimam *Noachi ætatem*, quam Deus ultricibus undis ſuſtulerit, proponens. Audiamus ipſum: הארח עולם תשמור אשר דרכו מתי־און *Numquid viam ſeculi* (mores priſtinæ ætatis, cujus memoria ex traditione Patrum nobis tot jam præterlapſis ſeculis innotuit) *obſervabis? quam calcarunt viri iniquitatis* (gens voluptuaria divinarum rerum incurioſa, digna atrociſſima & ſubita extirpatione) *qui corrugati ſunt* (in cadavera fœda & contracta abiere. vide de verbo קמטו c. XVI. 8. Ebræi communiter per נכרתו *exciſi ſunt*, exponunt) *cum nondum adeſſet tempus mortis* naturale, *quando fluvius* (aquæ omnes ita generaliter vocantur) *effundebatur ſuper fundamentum ipſorum* (Fundamentum Ijobo dicitur terra, ex qua formati ſunt. Ita ſupra c. IV. 19. אשר בעפר יסודם *quorum fundamentum eſt in pulvere.* Verba autem hæc Eliphaſi *tempora diluvii* reſpicere, jamdudum interpretes Ebræi obſervarunt יזכור אנשי דור המבול *loquitur de hominibus tempore diluvii*, annotat Rambar h. l. & R. *Abraham* eandem ſententiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

adducens teſtatur ſe facere id לפי רוב המפרשים, *ex mente plurimorum interpretum.* Quod ipſum in noviſſimis ad verſionem Gallicam notis Theologi Genevenſes monuerunt: *Les interpretes Hebreux eſtiment que par ce mot de fleuve eſt figuré le deluge univerſel.* Eandem ſententiam doctiſſimo *Lightfooto* arriſiſſe, colligo ex iis, quæ ad hiſtoriam diluvii annotavit Tomo I. Opp. p. 7. *Qui Deo dicebant, recede a nobis* (vere hæc vox per 120. annos ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε 1 Pet. III. 20. a profanis illis hominibus audita) *& quid faciat omnipotens ipſis? cum tamen ille impleverit domos eorum bono.* Apparent in hac παραινέσει quædam eximia & ad propoſitam theſin facientia. (I) Ex ſententia Eliphaſi graviſſimum eſt delictum, quod homines impii Noachi tempore Deum juſſerint a ſe recedere cum ſuo contritionis, fidei, ſpei, amoris, virtutum recteque factorum mandato, cum ſuo veniæ, adoptionis, ſalutis, & largæ gratuitæque compenſationis promiſſo, cum ſuo diffidentiæ ac nequitiæ interdicto, cum ſuis a diffidentia & flagitiorum conditione ſuſpenſis minis. Quis inde non intelligat, ſceleratiſſimos mortales teneri Deum implorare, ut ipſis adeſſe dignetur cum ſuis mandatis ac promiſſis, cum Spiritus S. operatione ſanctificante, cum ſuo favore, paternoque auxilio? Pertinebunt itaque Dei promiſſa ac mandata, quæque præterea jam recenſuimus, ad impios etiam, ut ne præfracte de Deo opponant, in ejus gratiam & communionem pervenire poſſint: Atque adeo vult Deus omnino impios quoscunque per contritionem & fidem propter Chriſtum ſalvari, eumque in finem ad vivam cognitionem doctrinæ divinitus revelatæ provenire. (II.) Quando Deus ædes impiorum replet victu, amictu, utenſilibus, auro, argento, famulitio, liberis, valetudine optima, honoribus; ſunt iſta omnia טוב *res præſtans* & *utilis*, divinum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

veri Numinis beneficium. Quicquid autem verum eſt veri Numinis beneficium, id proficiſcitur ex ſincero largientis amore, ex ſingulari ejus benevolentia, ad excitandum impurum improbi hominis animum, & amorem mutuum. Eſſet certe alias δῶρον ἄδωρον hoſtis callidi, cui recte homo reponeret: *Recede a me cum iſto tuo dono ex animo infenſo & ad perniciem mihi oblato.* Non prætermittendus eſt nobis in hac doctrina Elihu, Is c. xxxv. c. 10. Satanæ mancipia illuſtria depingit his verbis: *Non dicit debilium oppreſſor*, ubi eſt אֱלֹהַי עֹשָׂי DEUS FACTORES MEI, i. e. quorſum Pater Filius & Spiritus S. ob nequitiam meam receſſit? ubi eſt amica & animum illuminans, purgans, intimeque oblectans præſentia? *Suggerens mihi* antea cum adhuc in ipſo viverem *cantica* ob ampliſſimum celebrandi ipſum argumentum *in ipſa* intempeſta *nocte*, in qua alias omnes amici mei me relicto ſomnum capiunt, Deo interim contra Satanicas turmas & mala innumera me cuſtodiente, *docens nos homines* univerſos *præ beſtiis terræ & præ avibus cæli*, *ſapientes reddens nos*, ita ut agnoſcamus dari Rectorem hujus univerſi immenſæ perfectionis & omni laude digniſſimum. Ex graviſſima hac Elihu epanorthoſi recte colligitur (1) omnes impios teneri delictorum ſuorum veniam & ſincera μετανοίᾳ a Deo petere, & id ſi ab ipſis negligatur, peccatum verum habendum eſſe. (2) Patere illis, dum adhuc in via ſunt, aditum ad judicem ſummum, ſupereſſe ſpem veniæ adoptionis & ſalutis, conſequenter Deum eorum ſalutis eſſe cupidum, & Chriſti ſanguinem pro iis effuſum (3) impiorum longe aliam eſſe conditionem, quam Satanæ. Nuſpiam ille in Scriptura reprehenditur, quod a Deo apoſtaſiæ ſuæ veniam non ſollicitet, quippe cui ſententia mortis æternæ peremtorie & immutabiliter dudum eſt dicta. At impii ea de cauſa reprehenduntur. Quod ſi maxi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

mæ hominum parti ſtatim a præviſa & nunc cogenita depravatione venia ac ſalus conſilio immutabili & abſoluto eſt denegata, qui poterant eſſe devincti adhuc ad quærendum Deum? (4) Omnes impios teneri id pro ingenti beneficio habere, quod Pater Filius & Spiritus S. originem ipſis in materno utero dederint. Fas igitur eſt, id ſibi in memoriam velut opus immenſi amoris revocent: fas ex illo aliisque principiis facilis veniæ ſpem concipiant, atque deinde ejus conſequendæ ſollicitam curam gerant: fas certiſſime credant, neminem ab his FACTORIBUS eum in finem vitam accepiſſe, ut æternum ſint miſeri. (5) Nocturna impiorum cuſtodia tam auguſtum eſt Dei beneficium, ut ſonora & læta voce & frequenter ab ipſis celebranda ſit. Neminem igitur impiorum Deus inter vivos per multas noctes, dies, annosque eum in finem potenti ſua manu facit ſuperſtitem (העמיד Exod. IX. 16.) ut numerus ſcelerum ejus increbeſcat, ipſique gravioribus olim tormentis ſubiiciantur.

Supereſt nobis in ardua hac controverſia adhuc alius hujus divini Doctoris locus, quem paucis etiam expendemus. In c. XXXVI. 8. & ſeqq. adeo gratiam divinam impiis abſolute non denegat Elihu, ut potius ipſa ſupplicia pro ſcopo emendationem improborum habere diſerte affirmet. *Si vincti fuerint*, ait, *in compedibus, & detenti in funibus miſeriæ, tunc annuntiabit* per catenas, per Magiſtratum, per conſcientiæ excitatæ examen, interdum quoque per verbum & Doctores, *illis opus eorum & transgreſſiones eorum, quod invaluerint. Et revelat aurem eorũ ad correctionem, & dicit revertendum eſſe illis ab iniquitate. Si audiant & ſerviant ei, propagabunt dies ſuos in bono & annos ſuos in deliciis; ſi vero non audiant, gladio peribunt, & expirabunt ſine ſcientia* vera divina & ad ſalutem neces

ceſſaria; *Et hypocritæ quidem, qui coacervant ſibi iram, nec clamant, quamvis vinxerit eos* (horum inquam) *anima morietur in juventa &c.* Ex ſanctiſſimo hoc oraculo deduco ſequentia (I) Improbis Deus delicta ob oculos ponit, aperit aurem iis, & jubet reſipiſcentiam, corrigendi ſtudio, & ut emendatione ſuſcepta ſalventur. Neque enim Elihu deprædicare hæc in Deo poſſet, ſi pro ſcopo haberent augmentum delictorum & ſupplicii acerbitatem majorem. Vult ergo Deus ſanctæ & ſuæ ſapientiæ conformi ratione omnium improborum converſionem & ſalutem, utriusque etiam ſeriam gerit curam. (II) Imperat Deus impiis, ut peccati ſordibus relictis ad ſe redeant, & omnes animi meditationes ac deſideria, fiduciam & ſpem, oculos, manusque ad impetrandam ſcelerum veniam adhibeant. Pronus igitur eſt, ad veniam illis confeſtim a converſione tribuendam. Nuſpiam id denunciat Satanæ, quia averſam ab hoc mentem nunquam vult exercere (III) Deus, quod ſuarum eſt partium, agit, ut ii etiam, qui æternum pereunt, convertantur. Id patet ex verbis ויגל· ויגד· ויאמר (IV) Non immite, abſolutum, dirum reprobationis negativæ decretum, ſed contumax divinæ voluntatis contemtus eſt miſeræ mortis & exitialis ignorantiæ origo. Inſinuant hoc verba verſus 12. ואם לא ישמעו· (V) Enorme impiorum delictum eſt neglecta Dei invocatio Conf. in v. 13. verba: לא ישועו· Serio proinde Deus vult eorum converſionem, & pronus quoque eſt ad exaudiendas preces illorum, & ad ferendas ſuppetias (VI) immatura & miſera mors contingit impiis ob intermiſſam piam Dei invocationem. Voluit igitur Deus ſerio, ut ab æternum ſua culpa pereuntibus in vitæ decurſu pie quæreretur. Neq; enim tam acerbe punire poſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

ſet neglectum, niſi ſanctæ ejus propenſioni adverſaretur. Serio igitur voluit impiorum quorumvis converſionem, conſequenter eorum juſtificationem, adoptionem ac ſalutem. Quæ omnia univerſalem Dei miſericordiam luculentiſſime confirmant.

THESIS DECIMA.

Deus in nullo angelo atque homine eos efficit motus, quos lex ipſius ſecundum ſubſtantiam prohibet: permittit tantum illos phyſice (non moraliter) *juſtis de cauſis, figit terminos, evertit illorum ſcopum ab hominibus angeliſque immundis intentum.*

Probatio.

Ipſius Dei verba id nos docent: Sic enim. c. 1. v. 12. ad Satanam. *Ecce omne, quod Ijobi eſt, in manu tua* eſto, *verumtamen non extendes manum tuam.* Horum verborum verus ſenſus eſt: *Ecce, ut omnes angelicæ tuæ ſubſtantiæ vires a me conceſſas, hucusque conſervatas & porro conſervandas, applices ad everſionem opum Ijobi procurandam, id tibi quidem jure non licebit, non tamen id impediam per virtutem meam infinitam. Ut vero illas ad corpus Ijobi macerandum adhibeas, id vero prohibeo, & ſi tentaveris, mea potentia ſufflaminabo.* Ergo motus Angelorum, hominumq; ſecundum ſubſtantiam ſuam injuſti & vetiti non producuntur a Deo, Sed permittuntur tantum phyſice ad certum uſque terminum, in Satanæ confuſionem, in publicam piorum explorationem, majusque eorum ornamentum.

Conf.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Conſ. præterea c.11.16.17. Quod Deus autem ipſo facto oſtendit, id accurate Ijobo exponit Eliphaſus c. v. 12. & ſeq. Eum adhuc audiemus. *Reddit. Deus irritas cogitationes aſtutorum, ut manus eorum res mature deliberatas non efficiant. Capit Deus ſapientes per aſtuta ipſorum conſilia, ita ut conſilium hominum alias doloſe implicare ſtudentium fiat præcipitatum. Interdiu occurrunt tenebris, & velut media nocte palpant in meridie* (Dies & meridies ſunt tempus, quo res jam prudentiſſime deliberatæ, opus feliciter & omnia in luce currunt, videnturque ſuum ſucceſſum habere exoptatum, uti recte Venerabilis D. Schmidius annotat) *Hoc pacto liberat Deus ab aſtutorum gladio, ab ore eorum, a manu potentis miſerum.* Ex his colligimus (1) Quod Magiſtratus ſummus irritum facit, id eum auctorem non poteſt habere. (2) Cujus motibus a Magiſtratu Summo valida opponuntur impedimenta, ejus motus non dependent ab excitatione, vel uti loquuntur, præmotione ſummi Magiſtratus. Si enim ab illa dependerent, non opus foret obſtacula objicere. Sola ſufficeret intermiſſio prædeterminationis. (3) Si Deus aſtuta conſilia, decreta, dicta & facta adeo averſatur, ut per ea homines variarum rerum peritiſſimos ſæva malorum procella obruat, non eſt cauſa efficiens primaria illorum per intellectus voluntatis, membrorumque præmotionem. (4) Nemo ſuum ipſius opus fatuum reddit. Non igitur a Deo mentibus impiorum mala conſilia impreſſa ſunt. (5) Ad ſublevandos afflictos tanto non opus eſſet molimine, quale in his verbis quidem deſcribitur, ſi Deus eſt cauſa efficiens principalis phyſica omnium hominis aſtuti conſiliorum, decretorum, verborum atque factorum, ſola prædeterminationis ceſſatio ſufficiet: Noli in cultro motum ullũ noxium ciere, quisquis es, qui movere

vere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

vere potes, non dabit ille tibi aut alii quicquam damni. Sancte itaque de Deo ſanctitatis omnis fonte ſentiamus, & horribile de prædeterminatione phyſica ad peccatum & damnationem dogma tandem omnes, qui Chriſto nomen dedimus, averſemur. Sane uti illud nuper a Dn. *Jurio* recoctum & defenſum doluimus, ita haud parum recreati ſumus, quam primum inter ipſos Reformatos piis mentibus & auribus intolerabile illud eſſe cognovimus ex D. *Richardi Baxteri* Theologi Angli celeberrimi Meth. Theod. part. I. c. XIV. p. 278. & ſeq. cap. item II. p. 62. & ſeq. cujus diſſertatio accuratiſſima digna erat, quæ nuper Gallico ſermone vulgaretur annexa libello. *Eſſais de Theologie ſur la providence & la Grace.* Videantur inter alia p. 430. ubi oſtendit *doctrinam de prædeterminatione præſcribere limites potentiæ, & voluntati Dei* it. p. 433. *facere Deum auctorem peccati* p. 460. *deſtruere omnem certitudinem Scripturæ S.* & *totius religionis* p. 161. *facere Deum impoſtorem & mendacem* p. 470. *non ſolam promiſſionem peccati Deo tribuere*, item *confundere providentiam generalem cum ſpeciali* p. 471. *deſtruere neceſſitatem Gratiæ & Deo æqualem concurſum ad bonum & malum tribuere* p. 472. *facere Deum auctorem omnium malorum habituum* p. 474. *tollere gratiam concomitantem* pag. 476. *poſtulare majus auxilium Dei ad peccandum, quam ad non peccandum* p. 480. *docere Adamum in ſtatu innocentiæ non potuiſſe non peccare* p. 481. *tradere hominem non poſſe plus boni facere, quam actu faciat, nec abſtinere a peccato, in quod incidat* p. 492. *facere Deum tyrannum & crudelem* 494. *rem eo deducere, ut ſtatuendum ſit, omnem malitiam peccati in eo conſiſtere, quod Diabolus aut homines non ſint ipſe Deus* p. 495. *facere leges Dei injuſtas item polluere gratiam, & operationem Jeſu Chriſti & S. Spiritus*

p. 496

p. 496. *deſtruere pœnas inferni reſpectu conſcientiæ*; ibidem, *Deum crudeliorem adhuc depingere, quam eſſet, ſi homines ad peccandum cogeret, aut damnaret innocentes. p. 497. ſupponere Deum magis eſſe cauſam peccati quam Diabolum.* Quid? p. 499. *repræſentare Deum* SUB FORMA DIABOLI. En vim veritatis! Quod olim in præclaro Hamburgenſi Theologo *Philippo Nicolai* indigniſſime tulerunt Reformati, jam tandem ipſorum poſteri verum eſſe ſentiunt. Ipſa Baxteri verba adjiciam: *Tandem temperare mihi non poſſum, quin deteſter doctrinam, quæ illud in Deo occultat, quod eſt amabiliſſimum, & contra eum ſub forma Diaboli, ut odioſus nobis fiat, repræſentat. Eſt hoc horribilis blasphemia,* PURUS ATHEISMUS & EXTINCTIO *totius Religionis — Nam, ut adhuc ſemel dicam, prætendit hæc doctrina Deum eſſe cauſam principalem & totalem omnium peccatorum, & omnium pœnarum, quas Diaboli & homines in inferno aut in terris ſuſtinent, per ſuam prædeterminationem & præmonitionem phyſicam, immediatam, efficacem, irreſiſtibilem & inevitabilem.* Ce qui eſt la propre forme du Demon, *quæ vera forma eſt Diaboli.*

THESIS UNDECIMA.

IN hominum regimine ſuum Deo eſt δικαίωμα, *divinæ ipſius menti, ut ita loquar, ab æterno inſitum, ſuum, inquam, de eo, quid ipſum circa hominem in quocunq; caſu facere deceat, juſtum dictamen. Contra illud ſalva ſua ſanctitate Deus agere non poteſt, nec unquam agit.*

Probatio.

Dicit hoc Bildadus c. VIII, v. 3. *Nunquid Deus pervertit unquam jus? & num omnipotens pervertet juſtitiam?* i. e. An Deus unquam agit, quod cum practico rectæ rationis dictamine, cum regulis actionum liberarum immobilibus, cum jure & æquitate pugnet? Naturales æquitatis leges ſunt æternæ & immutabiles; nihilominus per hyperbolen eas pervertere eleganter dicuntur, qui res in iis prohibitas committunt, aut quæ in illis præcipiuntur, negligunt. Datur igitur certum משפט in Deo, quod perpetuo menti ejus obverſatur, &, ut humano more loquar, norma eſt & regula omnium ipſius actionum. Elihu in eadem eſt ſententia. *Summa mentis averſatio eſt Deo*, inquit c. XXXIV, v. 10. & ſeq. ab *impietate* & *omnipotenti ab iniquate. Immo vero opus hominis cujusvis compenſat ille* per commeritam pœnam, vel per promiſſa beneficia gratuita, & *facit* ut *quisque ſecundum viam ſuam* brabeum aut ſupplicium *inveniat. Quin etiam profecto omnipotens non agit impie, & omnipotens non ſubvertit unquam jus.* & v. 19. *Non admittit Deus faciem Principis*, ut propter ſummam ejus dignitatem cauſæ forte peſſimæ contra innocentes patrocinetur, *nec in pretio habet divitem præ paupere. Etenim opus manuum illius ſunt univerſi illi.* Ex his verbis minime obſcurum eſt (α) ineſſe infinite perfecto Dei intellectui (ut rem vocibus ad captum noſtræ mentis accommodatis exponam) certum & accuratum dictamen, quid ipſummet Deum circa hominem facere deceat, quid non deceat? (β) Deum contra ſuum illud δικαίωμα nunquam agere, ſed potius ſanctiſſimam ejus voluntatem a violatione illius plane abhorrere (γ) vi verborum Elihu, ſunt regulæ practicæ in mente divina ejusmodi, quæ exigunt compenſationem omnium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

mnium actionum humanarum, quæ retrahant Deum a patrocinio injuſti, quamvis ſplendidiſſimi, Principis, quæ non admittent, ut commiſerationem & vindictam exercere ſibi abſolute proponat, priusquam certo præviderit habiturum homines miſeros & ſceleſtos &c. Quibus probe obſervatis, atque, uti par eſt, admiſſis, evaneſcunt Supra lapſariorum diſputationes de exercendæ commiſerationis ac ſeveritatis decreto, omnia divina decreta antevertente. Sed & evaneſcet *Moyſis Amyraldi, & qui eum ſecuti ſunt*, ſententia de jure ἀνευθυνίας & ὑπεροχῆς in Deo, de quo adhuc mihi quædam dicenda ſunt, ea maxime de cauſa, quia inſignem ab illis Doctoribus hiſtoria Ijobæa & totum hoc divinum ſcriptum abuſum inde patitnr. Quanquam enim gratulandum ſit Eccleſiæ Gallicanæ Reformatæ, quod per Amyraldum deteſtabili Supra lapſariorum doctrina & quibusdam aliis particularis gratiæ Doctoribus acceptis hypotheſibus liberata ſit; improbamus tamen, quod magnum adhuc illi ſententiæ præſidium reliquerit, dum voluntatem Dei talem, qualem Supralapſarii fingunt, non fuiſſe, nobiscum quidem agnovit, *eſſe tamen potuiſſe*, idque *ex ſingulari Dei jure*, aſſeruit. Verba ejus ſunt in libro de prædeſtinatione c. 4. *Si Deus ſtatim, poſtquam hominem condidit, eum in profundam inferorum demerſiſſet abyſſum, nulla habita ratione actionum ipſius ſive bonarum ſive malarum, tantum, ut ſummum, indefinitum & abſolutum jus in creaturis oſtenderet, debuiſſe hominem in ea ſeveritate acquieſcere.* Hoc jus ab Amyraldo & aliis poſtea vocatum Jus ἀνευθυνίας quo Deus immunis creditur ab obligatione reddendi rationem ejusmodi actionum abſolutarum, quæ non plane ab omni iniquitate ſint liberæ, ut videri poſſit, Deum quædam injuſte deſignare, quæ tamen jure ſuperioritatis excuſentur. Noſtrum non eſt in præſens omnia, quæ *Amy-*

raldus in confirmationem hujus juris attulit, excutere, illud quod ſine oſcitantia prætermittere non poſſumus, ut Ijobi exemplum & hiſtoriam a perverſa interpretatione vindicemus, unice agemus. Præmittimus merito verba Amyraldi: *Deum ſibi ſumere, quæ Arminiani injuſta arbitrantur, ſic imus confirmatum. Ijobus in graviſſimas calamitates incidit. Amici, ut eum non tam conſolentur, quam hypocriſeos in vita anteacta inſimularent, & ad pœnitentiam cohortarentur, hanc theſin defendendam ſusceperunt: Cum ex Dei juſtitia bonis bene ſit, malis male, neceſſe eſt, ut ipſe Ijobus, cui ex Dei providentia adeo male ſit, malus quoque antea fuerit. Hac ille præpoſtera conſolatione incitatus, in Deum impatientia, in amicos ira ſic exarſit, ut Dei providentiam accuſarit, ſuam autem juſtitiam deprædicarit. Litem iſtam Deus qua ratione dirimit? Si idem de jure ſuo ſenſiſſet, quod Arminius, nihil proclivius erat, quam ut uno verbo ſignificaret,. Ijobum nihil quicquam habere, quod ei ipſe non indulſiſſet, quodque idcirco pariter eripere non poſſet. Atqui id Deus non fecit. Neque egit ex jure maleficii. Sic enim debuiſſet ipſum Ijobum convincere peccati; & defendere theſin amicorum Ijobi. Sed nec id Deus fecit, quin potius ut Ijobi in expoſtulando inſolentiam compeſceret, infinitam ſuam potentiam; ſapientiam & immenſam Majeſtatem commemoravit, ut oſtenderet, etſi verum foret aliquid a ſe injuſte deſignatum eſſe in caſtigatione Ijobi, non debere tamen Ijobum & homines tantum ſibi tribuere, ut divinæ providentiæ ſuccenſeant, eo quod ille habeat tale jus ὑπεροχῆς, quo creaturas omnes a limine judicii ſummoveat, ne audeant, cum illo ipſo jure contendere. Hoc igitur ex iſta Ijobi hiſtoria colligimus, licere Deo, ſi vellet, ab illo jure, quod poſitum eſt ἐν τῇ ἀνευθυνίᾳ ea facere, quæ ab Arminianis injuſta eſſe judicantur, aut etiam quæ vel magis vel minus*

injuſta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

injuſta ſunt. Sunt hæc ita comparata, ut theſin noſtram plane evertant, & Ijobi hiſtoriam in præſidium peſſimæ cauſſæ adhibeant, & operæ pretium omnino ſit, manum non prius a tabula, in qua verſamur, retrahere, quam fœda hæc litura in ſpongiam incumbat. Et principio quidem animadvertendum cenſeo, Amyraldum hiſtoria Ijobi ita abuti, ut plus ea, quam in controverſia eſt, probare ſatagat. Quæſtio erat: *An Deus tale quid, quod Arminius* (& nos cum ipſo) *injuſtum eſſe aſſeveramus, ſalva ſua ſanctitate facere poſſit?* Amyraldus in exemplo Ijobi id non tantum fieri potuiſſe, ſed & *revera factum fuiſſe* oſtendit: Etenim ſi Deus Ijobo tantum *quid facere potuiſſet,* reſpondet, nec amicis nec Ijobo ſatisfecit, qui non de eo digladiabantur, quid arcani juris eſſet adhuc forte Deo? ſed, *juſtumne eſſet, quod de Ijobo nunc fieret?* Aut igitur ad rem fere nihil reſpondit Deus, ſaltem præſentem litem non accurate decidit, quod ſine impietate dici non poteſt, aut ex illa ſuperioritate defendit, quod jam actu fecit; & ita liber noſter non tantum poſſibilitatem rei, ſed & ejus executionem in Ijobo & defenſionem hujus in ſermone Dei, exhibebit. Deinde, ſi vel omnia quæ *Amyraldus* Deo in caſtigationibus Ijobi tribuit ſana eſſent & certa, nulla tamen juſta conſequentia maximæ hominum parti in prima ſua origine poterunt applicari. Fatetur Ijobus miſerum ſe peccatorem: illi in perfecta ſanctitate & juſtitia erant conſtituti. Patiebantur anima & corpus Ijobi per tempus exiguum, nec ſine conſolatione interim divina, radios ſuos haud raro exerente: illi in æternam miſeriam detruderentur. Cedebant afflictiones Ijobi in majorem felicitatem & confirmationem fidei ac ſpei τῆς μελλούσης ἀποκαλυφθῆναι δόξης; in his unice ſæviendi voluptas dominaretur. Sed præſtat ipſam arcem cauſæ invadere. Ex nuda ὑπεροχῇ nullum Deo in creaturas jus aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

dominium naſcebatur. Summa obligatio erat ex creatione, & hæc in Deo illud effecit, quod ſvaviſſimis verbis David exprimit Pſalmo CXLV, 10. טוב יהוה לכל ורחמיו על-כל-מעשיו *Benignus eſt Dominus erga omnes, & miſerationes eius extendunt ſe ad omnes res ab ipſo productas.* Vide quæ ſupra ad theſin nonam pluribus diximus. Inde factum, ut nec ex illo jure egerit, nec ſe agere profeſſus ſit apud Ijobum Deus, ſed totus liber longe alia conſilia Creatoris nobis exponat. Contradixerat Diabolus Deo, & calumnioſe propugnaverat, non eſſe ſinceram pietatem Ijobi, ſed utilitate hunc hominem moveri, ut animum eo transferat, ubi quæſtus maxime appareret; ſi faciem mutaret Numen, & ea, quæ placere poſſent homini ſine Deo, retraheret, aut ipſius quoque Ijobi everteret ſanitatem, quam naturæ quodam ductu omnibus aliis hujus vitæ bonis anteferret, actum fore de amore Dei. Hæc calumnia ſanctiſſimum Numen movit, ut non ex jure ὑπεροχῆς excruciaret virum ſibi dilectum & tantis laudibus ornatum, ſed in contumeliam Satanæ, & demonſtrationem roboris, quod in veris Dei filiis eſt, æque adverſus mala corporis, quam πνευματικὰ τῆς πονηρίας, in exemplum quoque poſterorum (Conf. Jac. v, 11.) certos Satanæ impetus in Ijobo, natura quidem debili & ad impatientiam prono, ſed divina virtute ita conrfimato, ut in mediis doloribus nunquam tamen penitus ſuccumberet, ſed animum haud raro fortiſſime erigeret (conf. c. x, 13, XIII, 5. XIX, 25.) toleraret. Quam procul hæc abſunt à jure abſolutiſſimi dominii? Falſiſſimum autem, Deum ad ejusmodi jus provocare & Ijobum deducere. Commemorat quidem infinitam ſuam potentiam, ſapientiam & immenſam Majeſtatem, ſed non ut inde oſtendat, etſi verum foret, aliquid a ſe injuſte deſignatum eſſe in caſtigatione Ijobi non debere illum ob jus ὑπεροχῆς divinæ interveniens conqueri; ſed ut Ijobo

demon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

demonſtraret, male ab ipſo diſputari, *longe melius fore, nec contra juſtitiam divinam, ſi aliter & ita conſtituiſſet Deus ordinem ad ſalutem, ut in eo communia quidem vitæ humanæ mala ferenda eſſent piis & ſanctis, non autem extraordinaria cujusmodi afflictiones ſuas atteſtante bona conſcientia ſentiebat eſſe*; uti theſin Ijobæam *interpres optimus* expreſſit p.77. Stolidum nempe eſt ſapientiorem ordinem eum docere, cujus in aliis rebus perpetuo ob oculos obverſantibus non aſſequeris prudentiam.

Thesis Duodecima.

Cujusvis hominis creatio arduum eſt Dei beneficium, obligans eum cum ceteris beneficiis Dei ad pietatem, obligans ceteros homines ad amorem.

Probatio.

Perſpicuum eſt hoc in Ijobo, quem creationis conſideratio, ut ſervis atquo ancillis ſuis injuriam facere vereretur, compulit. Audiamus eum loquentem c. XXXI. 13. *Num ſprevi juſtam cauſam ſervi mei & ancillæ meæ, cum controverſiam ille mecum habuere? Equidem quid facerem, ſi ſurrexiſſet Deus? & quando viſitaſſet, quid reſpondiſſem illi? Nonne in utero factor meus fecit illum? & aptavit eum in matrice una?* Argumentum Ijobi eſt; Quemcumque Deus in ejusdem ſpeciei officina formavit, is mihi eſt magno habendus pretio, fraterno complectendus amore, neque, ſi ejus cauſam juſtam ſprevero ad quicquam excusandum meum facinus proferre potero. Hoc argumentum nullius eſſet ponderis, ſi plerosque homines eum in finem creaſſet Deus, ut eſſent ſervi peccati, mancipia Satanæ, vaſa iræ, filii gehennæ. Neque enim vera

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

ra eſt hæc poſitio: Quemcunque Deus in eadem officina formavit, ut ſit ſervus peccati &c. Ille piis eſt in pretio habendus &c. Præſtant enim hujusmodi homine longiſſime aſtra, volucres, piſces, tanquam in uſum hominum & gloriam ſapientiæ ac bonitatis divinæ condita. Quare niſi hominum maximam partem, ratione ſuæ creationis viliorem quovis inſecto facere, mutuique amoris fundamenta penitus ſubruere voluerimus, neceſſe eſt fateamur, hominem quemvis eo fine à Deo eſſe productum, ut in terris ipſi pie ſerviat, & poſtea immortali fruatur felicitate. Hoc autem conceſſo, univerſus, uti vulgo vocatur, particulariſmus mole ruit ſua. Neque enim poteſt non ſingulari benevolentia totum complecti genus humanum, qui tam egregium ſcopum in cujusque hominis creatione, ſibi habet præfixum. Huc ſpectant verba Elihu c. xxxv. 10. איה אלוה עושי quæ ſupra adduximus.

Thesis Decima Tertia.

Omnibus viatoribus patet venia & ſalus, modo ſuum faciant officium ad ea adipiſcenda neceſſarium.

Probatio.

Patet ex verbis Elihu c. xxxvi. 11. quorum ſenſum ſupra indicavimus: אם ישמעו ויעבדו Atque vel per illam ſolam aſſertionem Elihu abſolutum reprobationis negativæ decretum funditus proſternitur. Quod ſi enim univerſis impiis promitti poteſt venia & ſalus ſub conditione pœnitentiæ,

tum nemo eorum ſtatim poſt prævisum peccatum originis peremtorie a Deo eſt rejectus. Conf. præterea in hanc rem, Bildadi ſermo c. VIII. 5. & Eliphaſi c. XXII. 22. Sane Bildado & Eliphaſo nihil abſolute certum conſtitit de Ijobi ad gloriam æternam electione. Nihilominus ſub conditione pœnitentiæ & obedientiæ imperrite Ijobo novum pollicentur favorem & patrocinium divinum. Quo, quæſo, fundamento? Nullum ne fingi quidem poteſt idoneum aliud, quam hoc: Omni homini patet aditus ad veniam, adoptionem, Dei favorem, patrocinium atque hæreditatem æternam per contritionem & fidem vivam.

THESIS DECIMA QUARTA.

VErbi meditatio & obſequioſa operationis divinæ convertentis admiſſio ad noſtrā requiritur converſionem, ut conditio ſine qua non, eaque in noſtra poteſtate eſt. Ad juſtificationem autem, adoptionem & ſalutem prærequiritur contritio & fides viva.

Probatio.

Verba Eliphaſi c. XXII. 22 ſuperius jam expoſita utrumque egregie probant קח-נא מפיו תודה ושים אמריו בלבבך *ut penetrent inſtar ancipitis gladii pectus tuum, teq; ad Deum convertant,* Niſi Eliphaſus crediдiſſet Ijobum accipere poſſe cum fructu ex Dei ore legis Evangeliique doctrinam, niſi exiſtimaſſet, poſſe Ijobum ea ſervare memori mente, nunquam ad eam rem ipſum fuiſſet cohortaturus אם תשוב עד שדי תבנה &c. En prærequiſitum divini patrocinii! & quidem ex duplici motu: ex motu a quo מאון & ex motu ad quem, עד שד adeoque ex contritione & fide viva. Elihu quoque c. XXXVI. 10. & ſeqq. in

verbis ſupra expoſitis hoc ipſum inculcat. Teſtatur, Deum hominibus impiis in carcere deliteſcentibus ſua ſignificare delicta, addita epanorthoſi, injungere quoque pœnitentiam. Cumque alloquium Dei non ſit purus-putus verborum ſonus in meras auras evaneſcens, nō poteſt non habere ſibi conjunctū internum & ſuavem humani intellectus atque arbitrii pulſum. Facit ergo Deus, quod ſuarum eſt partium in procuranda facinoroſorum converſione. Subjicit Elihu, impios poſthac beatos fore, ſi *audierint* cum τάξει debita *vocem Dei* (en prærequiſitum converſionis) & *fecerint ejus juſſa* (en prærequiſitum ſtatus gratiæ!) *Quod ſi non audierint, tum gladio perituros.* Eſt igitur utrumque in viribus adultorum ſitum, vocem Dei legalem & Evangelicam juſto ordine audire, eamque ἀτάκτως aut plane non adire, promovere per exercitium actuum, quos Theologi vulgo vocant, pædagogicorum, ſuam converſionem, juſtificationem, adoptionem, renovationem, ac ſalutem, & contra eandem per illorum neglectum impedire, Huc pertinent ſeriæ illæ ad auſcultandum cohortationes, quibus ut plurimum Ijobi amici reſponſa ſua ordiuntur.

THESIS DECIMA QUINTA.

Continuata morum innocentia, continuata contritio & fides viva, & verum virtutum omnium ſtudium (quæ perſeverantiæ voce indigitantur) non ſunt ejusmodi donum Dei, quod nos oſcitantes ſolius Dei curæ committere deceat: quin potius oportet illud aſſidue per frequentem verbi & judiciorum divinorum meditationem acuere & ἀναζωπυρεῖν, ne hebeſcat aut plane pereat.

Proba-

Probatio.

Quam ſanctum & arduum fuerit in Ijobo continuandæ pietatis propoſitum, ſatis indicant verba Ijobi c. XXVII. *Omni eo tempore, quo adhuc anima mea erit in me, & reſpiratio à Deo conceſſa in naſo meo, non loquentur labia mea* (me ejus conſcio) *iniquitatem, & lingua mea non ediſſeret ſermonem doloſum. Uſq; dum ultimum halitum emittam, non removebo ſinceram pietatem à me. In mea juſtitia* (id eſt, recti amore ac ſtudio) *tenaciter perſiſtam, nec faciam illam flacceſſere, non afficiet eam probro animus meus per univerſam vitam.*

THESIS DECIMA SEXTA.

Quisquis a Deo in gratiam eſt receptus, rurſum vero, & quidem conſulto, id committit, quod ipſemet novit ſanctiſſimæ Dei voluntati adverſari, is novam Dei adverſus ſe incendit iram. Excidit proinde beato juſtificationis ſuæ ſtatu. Ut ad illum autem redeat, agnoſcenda, deteſtanda ac deploranda illi ſunt peccata ſua, in Dei clementiam ac Chriſti meritum fiducia eſt figenda, atque ita deſideranda, petenda & ſperanda eſt venia. Pie quoque & cum fructu aliorum Deum amantium interceſſio adjungetur.

Probatio.

Poſtremum hiſtoriæ Ijobææ caput hanc longe ſaluberrimã maximeque neceſſariam nobis ſuggerit doctrinam. Eliphaſus, Bildadus & Zophar in ſua cum Ijobo diſceptatione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

quædam ſtulta & ex Φιλονεικίᾳ in Ijobum injurioſa, quæque ipſimet vera non eſſe ex emendatiſſima Ijobi vita noverant, effuderant. Eapropter *exarſit ira Dei* (c. XLII. 7. 8. *adverſus Eliphaſum, & adverſus duos ejus ſocios, & malum eo pervenerat, ut in præſentiſſimo periculo eſſent, ne Deus ageret cum illis* (v. 8.) *ſecundum ſtultum ipſorum facinus contra conſcientiæ dictamen commiſſum.* Neque enim dici poteſt, Deum piis ſuccenſere, & ſupliciis imminere propter ignorantiæ ac præcipitantiæ delicta. Oportet igitur Ijobi amicos prudentes ſcientesque in ſermone crimen admiſiſſe. Ne vero ira divina, qua nihil gravius, diutius urgerentur, aut pœnas luerent commeritas, jubentur ſeptem juvencos atque arietes ad Ijobum adducere, eorumque oblationem cum interceſſione exorare. Patet ex his ſine negotio, quid pios poſt commiſam culpam deceat? Iuvenci & arietes erant umbra futuri boni, corporis Chriſti. Corpus Chriſti eſt ipſummet verum corpus, non umbra, ipſamet genuina perſe ac ſua natura expians nos victima. Umbras priſca Eccleſia Deo ſiſtit, & ex ejus præſcripto miſere tractavit, ut Deum ſibi redderet propitiũ. Noſtrum eſt, ipſum corpus, corpus Ieſu Chriſti per preces Deo ſiſtere, & divinarum promiſſionum memores de paterno amore per diviniſſimam hanc hoſtiam nobis parto nihil dubitare.

Enucleanda quoque jam eſſet Ijobi Theologia Evangelica, quatenus illa *Socinianorum & Judæorum deliriis* contradicit. Atque hic latiſſimus aperiret ſe nobis diſſerendi campus. Verum cum non librum, ſed diſputationum inſtituerimus, & tot curis, laboribus, ac itinere urgeamur, ſuffecerit ſumma tantum capita notaſſe. Pugnat igitur in theſibus ſequentibus Ijobus noſter cum

SOCI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

SOCINIANIS.

THESIS DECIMA SEPTIMA.

DAri Spiritum infinite perfectum, eumque rerum humanarum omnium curam gerere, noſtro captu ſuperiorem accuratam & ſanctam, certo cognoſcere poſſumus, quando attente eſſentiam, affectiones & ſtatum rerum creatarum penſitamus.

Probatur ex Ijob. c. v, 9. ſeqq. XII, 7. XXII, 12. XXVI, 7. XXXVI, 24. XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL.

THESIS DECIMA OCTAVA.

PLures ſunt perſonæ divinæ, ſeu plures ſunt, qui ſummo cum imperio rebus univerſis præſunt, per ſuam ipſorum ſapientiam ac potentiam infinitam.

Probatur ex Ijob. c. IV, 19. VII, 3. XXXIV, 20. XXXV, 10.

THESIS DECIMA NONA.

HI ſunt JEHOVA Pater (datur enim filius Jehovæ omniſcius) *Filius ab æterno genitus* (a) *generis humani Sponſor ac Redemptor* (b) *unica ſalutis meritoria cauſa* (c) *Spiritus rerum omnium conditor* (d)

Probatur (a) c. XV, 7. XXVI, 13. (b) c. XVII, 3. XIX, 25. (c) c. XXXIII. 24. (d) c. XX. 3. XXVI, 13. XXXII, 9. 18. XXXIII, 4.

THESIS VICESIMA.

INter infinitas Dei perfectiones juſtitia quoque eſt compenſativa, adeo ut non poſſit non rependere recte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

facta promiſſis brabeis juſto, & peccata promeritis pœnis ſubjecto peccanti, ſaltem vicario idoneo.

Probatur c. VIII, 3. XIX, 29. XXXIV, 10.

THESIS VICESIMA PRIMA.

P*Eriit primæva ſcientia, ſapientia, pietas, probitas;* (a) *primæva quoque felicitas, ob apoſtaſiam* (b) *& in ejus locum ſucceſſit univerſalis labes, vi cujus nullus homo eſt, qui non peccet* (c)

Probatur (a) c. IV. 20. XI, 12. (b) VII, 3. (c) V, 7. 8.

THESIS VICESIMA SECUNDA.

A *Deo ſunt ſincerus de peccatis dolor, notitia & aſſenſus myſteriorum Dei, cum fiducia, deſiderio, & ſpe gratiæ.*

Probatur c. XXVIII, 12. 27. XXXVI, 22. XXXVIII, 36.

THESIS VICESIMA TERTIA.

A*Nima multo præſtantior eſt corpore, nec obdormiſcit illo peſſum eunte.*

Probatur c. IV, 19. XXXIV, 14.

THESIS VICESIMA QUARTA.

I*Mpii tandem in orcum ad Satanam & pœnas æternas relegantur.*

Probatur c. XIIX, 14. XX, 26. XXI, 13. 30. XXVI, 5. 6. XXVII, 8. 9. 10. 20. XXXI, 3. 12. 23. XXXII, 22. XXXIII, 22. 24. 28 30. XXXVIII, 13.

THESIS VICESIMA QUINTA.

D*Eus ſub veteri federe poſtulavit, cum externam*

mo-

morum innocentiam ac rectitudinem, tum internam animi pietatem ac probitatem, eamque exactam (a) *nominatim abnegationem ſui ipſius* (b) *ſummam animi corporisq; caſtitatem* (c) *promtam in calamitatibus tolerantiam.* (d) *Neque enim fruſtra Ijobi pietas eſt priſcis ob oculos poſita. Non igitur opus habuit orbis novo legislatore elapſo jamdum poſt natalem mundi millenario quarto.*

Probatur (a) ex c. I, I. IV. 3. 4. V, 8. VIII, 6. XXVI, 6. 7. 9. XXVIII, 28. XXIX, 13. & ſeq. XXXI. 16. & ſeq. (b) c. I. 21. XXXI, 7. (c) XXXI, I. 2. 9. (d) c. II. 10.

THESIS VICESIMA SEXTA.

STatus piorum ſub V. Teſtamento æque fuit ærumnoſus, ac ſub N. florentibus haud raro impiis. Non igitur dedit Deus (neque enim ita implevisset) piis eo tempore auguſtiores de proſperitate temporali promiſſiones, quam ſub novo pacto. Immo vero non potuit non illis æterna cœli gaudia polliceri.

Probatur ex c. I, II. VI, 3. VII, I. 3. 4. 18. IX, 25. XII, 5. 6. XIV, I. XXI, 7. 25. 26. 31. 32. XXII, 18. XXIV, I. & ſeqq.

THESIS VICESIMA SEPTIMA.

DEus promiſit jam olim omnibus peccatoribus veniam, & incolumitatem, ſi pœnitentiæ & emendationi vitæ ſtuderent.

Probatur ex c. VIII, 5. XXII, 21. XXXVI, 8 ſeqq.

THESIS VICESIMA OCTAVA.

DEſiderium & ſpes veniæ certa fuit in piis ſub V. Teſtamento.

Probatur ex c. VII, 21. XIII. 15. 16.

THESIS VICESIMA NONA.

PIi ſub V. T. credidere, piam mortem eſſe januam gratæ quietis corpori, ſummæ felicitatis animæ.

Probatur ex c. III, 17.

THESIS TRICESIMA.

PIi ſub V. T. credidere deſtuctionem mundi hujus, reſurrectionem cum piorum tum impiorum, judicium extremum, vitam æternam.

Probatur ex c. XIV, 12. XIX. 22. & ſeq. XXI, 30. XXVI, 10. XXXIV, 23. XXXV. 14.

THESIS TRICESIMA PRIMA.

PIi ſub V. T. habuere ſpem vitæ in cœlo beatisſime ducendæ.

Probatur ex c. XIII, 16. XXV, 2. XXVII, 8. XXX, 12.

THESIS TRICESIMA SECUNDA.

PIi ſub V. T. anhelarunt piam mortem in ærumnis ſpe vitæ melioris.

Probatur ex c. III, 20. VI, 9. 10. 11. 12. VII, 2.

THESIS TRICESIMA TERTIA.

Pii ſub V. T. clauſerunt vitam læti in ſpe adeundæ quietis ſuaviſſimæ.

Probatur ex c. XIV, 6.

Sanctifica nos Deus in veritate Tua.
Verbum Tuum eſt Veritas!

S. D. G.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 00968 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-98 4° 968